N:g:161. ~~3 B g:30~~
3

N.g.161.

BBB·a·23·

IANI GVLIELMI

PLAVTINARVM QVÆSTIONVM COMMENTARIVS.

In quo omnes ordine M. PLAVTI COMOEDIÆ, tum multa veterum ſcriptorum, POETARVM inprimis, & M. TVLLII loca variè illuſtrantur, corriguntur, augentur.



LVTETIÆ,
Apud ÆGIDIVM BEYSIVM via Iacobæa, ſub inſigni Lilij albi.
CIↃ. IↃ. XXCIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ maieſtatis priuilegio cautum eſt, ne quis alius quam Ægidius Beyſius typographus iuratus, *Iani Gulielmy Plautinarum Quæſtionum commentarium* ante annos nouem a die impreſsionis abſolutæ in ſuis regionibus imprimat, alibive impreſſos importet, aut venales habeat; pœna confiſcationis librorum & alia illi, qui aduerſus ea fecerit, indicta: vt latius in diplomate continetur, dato Pariſijs prid. Kalend. VII bres. cIɔ. Iɔ. XXCIII. & de Regij conſilij ſententia ſignato

LE COINTE.

AD

AMPLISSIMVM
NOBILISSIMVMQVE
VIRVM, AVGERIVM
GISLENIVM BVSBE-
QVIVM.

MAGNA ſemper, quod tu non ignoras, vir nobiliſſime, mentis atque linguæ fuit cognatio; ſummaq. coniunctio conſideratæ rationis & diſerti ſermonis. Cum enim natura hoc omnes ſtudeamus, ſapere quam maxime, &, quantum quantum id eſt quod ſapimus, communicare cum quamplurimis; vtrumque, & diſcitur ſa-

pientia, & explicatur graui & orna ta oratione cõmodiſſime. Itaque gentes eæ quæ opinione prudentiæ inter primas claruerunt, hac etiam laude bene loquendi numquam caruerũt: & illis ipſis in gẽtibus prudẽtiſsimus quiſque politi & elegantis ſermonis ſtudioſiſſimus fuit. Eleganter autem nemo vmquam loquutus eſt, qui nõ idem de quaque re proprie loqui præſciuerit. Vere enim hoc dicitur, eloquẽtiæ fontem eſſe verborum delectum. quæ quis recte ſeligat, niſi vim eorum & germanã naturam cognitam atque peruestigatam habeat? Ea re nõ puduit Romæ; vt nunc de latina lingua vna Europæ hodie vniuerſæ communi dicam; ſummos viros, & ſummis in maxima rep. honoribus perfunctos, tamen huic etiam

rei ſtudium & operam impenſe tribuere, & id ita a ſe fieri publicis monimentis teſtari. Quis M Tullio honoratior? C. Cæſare potentior? M. Varrone in omni diſciplinarum varietate ſciētior? quouis horū publicis negotijs domi foriſq. tractandis occupatior fuit? tamen neque Cicero grammaticum ſtudium ſuum vſquam diſſimulauit, & Cæſari in illo claſſicorum ſtrepitu de analogia ſcribere vacauit, & Varroni de omni patria lingua accuratiſſime commentari, & eam operam ipſi M. Tullio potiſſimum, vni e veteri illo reip. liberæ ſenatu reliquo conſulari, deſtinare placuit: cui ſuos etiam libros Cæſar ante trāſmiſerat. Scilicet vt conſilium bonum vſu ſuo omnes capit, lenocinium perſuadentis non requirit: ſic verba pro-

prie & in loco elata ſuapte ſignificandi vi placent, fucum & calamiſtros expolitionis aſpernantur. Igitur huius laudis auidi legebant veterrimos oratores, hiſtoricos, poëtas; & hos in primis comicos. Etenim vt imago vitæ eſt, & ſpeculum morum comœdia; ita eadẽ puræ dictionis magiſtra, & proprietatis in loquendo probiſſima regula. nec vmquam ſatis bonus comicus habitus eſt, qui vlla peregrinitate vrbanitatem linguæ patriæ obfuſcauit. Ferreum ſcriptorem Attilium Cicero vocat; & idem malum latinitatis auctorẽ Cæcilium. at Terentianæ fabellæ propter venuſtatem Lælij & Scipionis ſtylo adiuuari putabantur; & Plautino ore Muſas loquuturas, ſi latine loqui vellent, vulgo credebant. Hæc politiſſimi ſæculi

iudicia erudita poſteritas cõpro-
bauit,& Attiliũ quidẽ Cæciliũq.
ita neglexit,vt in obliuionẽ veni-
re vtrũque non ægerrime tulerit;
Plauto autẽ & Terẽtio doctiſsim⁹
quiſque ſemper deditiſsimus fuit,
&nunc ita addicti cordati omnes,
vt de manu non deponant, atque
ad illa exempla os ſuum effingãt,
ſermonem cædãt, epiſtolas texãt,
ſales iaciant, non illa tranſmarina
& exotica, ſed hac vrbana & ver-
nacula venere imbutos. Et difficil-
lime dictu eſt, in ſumma vtriuſ-
que pręſtantia vtrius maiores lau-
des ſint, & in ſua arte virtutes illu-
ſtriores. Speculum vitæ comœdia
eſt; at ea relucet ex vtroque clariſ-
ſimo clarore, ſed pari. imago mo-
rum, hominum cuiuſque generis;
intuere vtrumuis, reperies ordinũ
ætatum, condicionũ, ſexuum cõ-

ſuetudines omnes non adumbratas, ſed ad viuum expreſſas. Vno haud dubio ſuperior Terētius, admirabili rerum & conſiliorum in agendo, ingreſſu, ordine, exitu; & omnium membrorum incredibili conuenientia: quæ in altero ſæpe interrupta, nonnumquã obſcura, interdum implicata & ſibi diſſentanea iacet. Et, quod in Græcis alij obſeruarũt, Plautus perſonas producit, vt ſunt; Terentius, meliores quam ſunt. in illo meretrices ſemper auidæ, viroſæ, infidæ; adoleſcẽtes cupidi, impotentes; ſeruuli, etiam cum fidei bonæ, tamen ingenij mali: in hoc etiam meretrix interdum bona; adoleſcens, conſtans; ſeruus, domini conſiliarius. Itaque hic viris grauibus, & mores prolapſos ad honeſtatẽ retinentibus, probatior; ille multitudini

prçſentis æui ſimilitudine gaudẽti gratior. alteri in bibliothecis & libris laudes veriores; alteri in theatris & ſcenis plauſus crebriores. Plautus tamen vt arte & moribus vincitur; ita varietate & ſermonibus lõge vincit. neque non tamen Terentius puriſſimi oris eſt, & emendatiſſimç dictionis; ſed Plauti nuda proprietas verborũ latiniſſimorum tanta, vt omnes ſuperet. Neque hæc nunc primũ a me ſententia dicitur: ſed iudicium eſt cõſentientis antiquitatis; in primis togatorũ omniũ eruditiſſimi Varronis. Qui etiã euaneſcentem ſuo iam tẽpore antiqui ſermonis ſimplicitatem retrahere conatus eſt, & in Plauto deliteſcentem indicare, tamquã digito intento. neque enim facillimum eſt, aut cuiusvis hominis, iocis inuolutç & ca-

ptata ambiguitate eludentis di-
ctionis vim aſſequi: quo qui per-
uenerit, ille vero demum in pene-
tralia latinitatis recto pede & dex-
tro, vt aiunt, Mercurio ingreſſus
eſt. Atque vtinam diuini illius vi-
ri Quæſtiones Plautinæ nõ eandẽ
temporis iniuriam, quam ſcripto-
res innumerabiles alij, ſenſiſſent!
planiora, integriora, pleniora
haud dubio plurima in præſtan-
tiſsimo poëta legeremus, quę nũc
obſcura, tenebris, hiulca lacunis
deformata maculis ſine ſummo
dolore adſpicere non poſſumus.
Nã quæ tot eruditiſſimi viri ope-
ris ad bene de Plauto merẽdũ col-
latis comportarunt, tamen magis
deſideriũ noſtrum incenderunt,
quam dolorem lenierunt. qua in
re & ipſe nauaui ſtudium, euentu
impari, voluntate pari; dum ſupe-

riorum menſium caloribus Plautum percurri, & in multa, quæ fidei aut lucis ambiguæ occurrebant, inquiſiui: breuiq. earum, Quæſtionum corpus quoddã cõfeci, exemplo M. Varronis: audacter fortaſſe, qui in tãti viri veſtigijs tãto interuallo pedem ponere auſus fuerim; ſed tamen modeſtius, quam ij; quibus nuſquam aqua hęret, aut vacillat ſententia. caui enim, & indicaui timiditatẽ meam ipſo titulo, nec tã ipſe ſtatui certa aſſeueratione, quã virorum doctiſſimorum ſuffragia exambiui. Vnum audacius feci, cum iuuenili huic operæ præſidium quæſiui in tuo potiſſimum patrocinio, vir nobiliſſime: cuius omnis vita in rebus grauiſſimis tranſacta, & ampliſſimis honoribus perfuncta, longe maiora alia po-

ſtulabat, non has ludicras de vocabulis & loquẽdi generibus diſceptationes. Sed tamẽ neque maximos viros, vt initio poſui, inter curas ſuas puduit huc etiam ſe demittere, & tu ſecundum politica illa & hiſtorica ſtudia, quibus honoratiſſimum otium honeſtiſſime oblectas, ne hęc quidem tenuiora emblemata contemnis, ſed inter remiſſiones maiorum cogitationum libẽter ponis. Nõ committam hîc, vt laudibus tuis percenſendis tibi ipſi leuis & inanis videar. mea potius adoleſcentia bona exiſtimatione tua indiget, quam ſumma virtus tua cuiuſquã præconio; nedum meo, cui natura exiguas doctrinæ, nullas eloquẽtiæ copias elargita eſt. Verbo ponã, me cũ plurimũ tibi debere præ me ferrem communi Germa-

niæ noſtræ nomine, cuius tu non ſemel labantem ſtatum conſilijs tuis erexiſti, legationibus & periculis etiam ſtabiliuiſti; tum nuper inopinata illa ac ſingulari humanitate tua ita commotum eſſe, & incẽſum admiratione maximarum virtutum, vt præcipuo quodam obſeruantiæ genere te mihi complectendum iudicarim, & iſtius animi hoc pignus iam tũ tibi deſponderim: quem & poſſe illuſtri nomine atque præclara eruditione rectiſſime tueri videbã; & velle, pro eximia bonitate, nõ dubitabam. Quæ ſpes ſi me, vt confido, non fefellerit, huic libro ſatis firmum in auctoritate & amplitudine tua præſidium erit paratum, aduerſus Momi & inuidiæ virulentas inſidias; mihi vero alacritas maior iniicietur, ad perpo-

lienda alia maiorum vigiliarum opera, & tua iſta grauitate digniora; quæ iamdiu animo concepta & inſtituta, maturitatem ſuam & perfectionem exſpectāt. Lutetiæ Pariſiorum, Pridie Kal. Octobreis.

AD BENIVOLVM LECTOREM.

VT nuper Veriſimilium libros de ſuſpicione plerũque probabili; ſic nunc hos Quæſtionum inſcribſi, mi Lector, hoc eſt, ad Plauti ambigua quædam, aut non proba, diſputationum magis mearum quam certarum concluſionum: opus præcox, & præmaturi partus; conceptum certe pauciſſimis menſibus, & magna ſui parte ſub prælo auctum natumque. ſed nec hortantibus amicis potui pernegare, nec his minutijs limandis bonas horas male occupare. Vt incidit loci affecti aut implicati medicina aut explicatio, ita notaui; quæ

notaueram, eodem ſæpe articulo, aut die certe, typographo dedi. Scripta ſemel calamo torquere, & de verbis ſingulis in conſilium ire, non placuit: præter rem aut ante rem ſuſpenſum fabulis te detinere, multo minus. Odioſa res eſt, vt ait ille,

—— difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Abs te, beniuole Lector, hæc peto. primum vt, ſicubi lapſa eſt inſcientia noſtra, humano errori hominem te præbeas: niſi tamen non pluria cetera recte & ordine monita erunt, & ex vſu tuo publicoq. litterarum.

ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Deinde, vt, cuicuimodi hæc erũt, fruare vt tuis, vtare tamquã meis. valere enim hic in primis debet Thaletis illud; e auctoris ſui nomine potiſſimum vt emanet ac laudetur inuentum. Quod

me feciſſe, & ab alienis abſtinuiſſe ac cauiſſe ſedulo teſtem facio illum ſupra nos Iuſtitiæ oculum,

ἀνθρώπων ὕβριντε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα.

Neque hîc ſolum per me, ſed etiam per amicos aliquot meos, adoleſcentes doctos, & in his ſtudijs multæ atque exercitatæ lectionis. Si quid fefellit memoriam aut diligentiam noſtram, iam nunc reſcribo illis ſuum, qui in vacuum priores venerint. Quorum cogitata diuinare aut ſcire non potui, horum querellas non extimeſco; vt ne iſtius quidem impudentiam, qui recta petitione in me incurrit, cui vltro iniuriam facturus erat. & volebam tamen iſti homini parcere: ſed inſuſurrabat Publius,

Veterem ferendo, iniuriam inuitas nouam.

Et quid facerem? plagij me diſerte inſimulari ferrem? Ego vero ferrem, ſi ingenij famam eleuaret, quam arroga-

ui mihi numquam; aut de doctrina detraheret, quæ quam ſit modica, ſentio & fateor: improbitatem ſibi impingi, probitatem, fidem, candorem animi adimi, is ferat, qui has virtutes aut non magni æſtimat, aut non magnopere colit. quæ ſi huiuſmodi ſcriptiunculis amittendæ ſunt, dicam quod ſentio, pereant potius omnes litteræ. Nam doctrina & hac antiquitate carere poſſum; illis, dum is ero, quem me eſſe & volo & ſpero, non poſſum. Tu, lector, ignoſce iuſto dolori meo, & illi, qui veteratorie laceſſiuit, non mihi, qui neceſſario defendi, imputa. Vale, &, ſi merui, faue.

INDEX RERVM ET VERBORVM HOC commentario memorabilium.

A.

Abditiuus 244. 5
Abducere 249. 29
Ab re 42. 26
Accenſus amicæ 131.26
Accipere, hoſpitij 124. 6
Accudere oculis miſeriam 74. 20
Addicere, in emptione & iudicijs 244. 26
Adire in ius, ad prætorem 51. 19
Adquo 49. 19
Adſpectare 62. 6
Agyrippus 24. 25
Album rete 255, 24
Albunea Sibylla 186. 32
Alia his 226. 22
Alieni 38 11
Alis, pro Elis 75. 27
Amator potiſſimus 18 16
Ambitioſa puella 172. 29
A me 183. 13
Ameci 106. 32
Amo te 244. 18
Ampulla in balneis 256. 24
Angor, anguſtiæ, 286. 14
Antidhac 291. 26
Antidire ibid.
Apollinis nominandi caſu 184. 17
Apponere 106. 17
Arces ſanctæ 211. 3
Arte habere 19, 29
Aſinaria Plauti e Diphilo 29, 13
Augerij Busbequij T. Liuius manuſcriptus 155. 5
eiuſdem Nonius 216 25
Auritus populus 2 12
Autem 184. 12
Axitioſa mulier 184. 12

B.

Bella iubere 175. 6
Bene eſſe 144. 18
Bene viuere 55. 9
Bibere, de re mala 272. 12
Biſulcilingua 248. 11
Blaterare 298. 25
Bona aui 227 2
Bona facere 3 7. 8
Bonam vitã facere 259. 28.

C.

Cadere, in coitu 258. 10.
Capitalis ędis, homo 170. 21
Captura, ſcortiprerium 245. mercenarij eod. 6
Caſſus tumultus 298. 18
Caſſa terticula, ſpecula 288. 19
Cella promptuaria 312. 23
Cena dubia 31. 20

ẽ ij

Chlamydati 25. 2
Chlamys 24.31
Circumpectere 154. 7
Circumretire 92. 14
Cis 118.3
Clarius poſcere 95. 12
Clinici philoſophi 189.20
Coaccedere 107. 20
Coaddere 107. 18
Cœtus, pro coitu 99. 3
Commune, pro republica 207. 4
Communitare prouinciam 295. 21
Compotire 268. 14
Concludere 64. 14
Concedere 22.10
Congerræ 42. 31
Contemnere 281.26
Contumelia vnde dicatur 281. 29
Conuenire, in Venere 98. 27
Conuenticij patres ibid.
Conuẽtus, pro coitu ibid. 2
Coquitare 232. 8
Coqunare ibid.
Cron. Vuerdeburgius 280. 28.
Cotidiano 79.1
Crepitus polentarius 92. 3
Crocinum 95. 6
Crudus de homine duro 188. 22
Cudere in re mala 74.25
Cuius, a, vm 266. 5
Cuſtodes, in ſeruitio. 34.19
Cuſtodiri 25. 6

D.

De nihilo 167.29
Decẽ animi 217. 24
linguæ 217.25
Deducere, in nuptijs 321.31.
in emptione 322. 5
Depectere ibid.
Deripere 145. 7
Deſtinare 169.15
Didere 214. 13
Diffatigari 1361
Dij læti 4.14
triſtes 4.15
Dignus ſalutis 294.10
Diobolaria ſcorta 244.25
Diphili ὀνηγός. 24.19
Diſcere fabulam 146.10
Diſpeciſci 295.25
Diſpennere 80. 31
Diſperilis 11. 3
Docere fabulam 146.10
Domatis 9.19
Domi ſeruare tutari 7.6
Dubius dies 131. 18
Dupondius 244.26

E.

Edicere 8. 2
Ediſſertare 36.4
Effligere 122.29
Ei pro i 82.24
Electare 216. 15
Eluerẽ 291.17
Enduo 104. 25
En vmquam 324. 15
E re 42.4
Erogitare 36. 9
Erricus Dudenus 81.10
Eſcendere 202. 30
Eſſe probe, pro edere 256.19
Eteſiæ 114. 27.
Eugepę 75.11

Euadere 129.19
Ex compecto 153.31
Ex mea ſententia 170. 13
Excire, in præconio 25.12
Excitare, pro ablegare 6.21
in præconio 25.14
Exemplum 35.23
Exercitum imperare 73.5
Exercitus pro exercitio 72.10
Experiri mercenarium 219.32
in vi bellica aut ciuili 308.7.
Expetere, in euentu 222.11
de præſente pœna. 222.15
Explodere, pro extrudere 6.23
Exungere, vnguentis abſumere 291.18

F.

FAcil 279.24
Factũ atque tranſactũ 64.24
Facul, a facultate 197.7
Familiaris 38.18
Faucibus teneri 90.21
Fieri in conuiuijs 81.14
Fiſcus, ante impp. tempora 161.22
Flagitare 95.14
Flagitatores 95.23
Flagitium 95.26
Flocco habere 4.1
Frutex 169.30
Fugam fingere 84.5
Fungi fortunas ſuas 316.16
Furciferi 168.31
Furũ celeres manus 315.24

G.

GAbrielis Rolãdij cõiecturæ 26,26.292.3
Galli, in Ælia gente 219.22
Gerræ, pro gerronib⁹ 42.27
Gie 273.2
Grues, de longis 273.2

H.

HEcatombæ hoſtiæ 269.11
Heia 120.20
Hillum 124.20
Hiræ latrantes 173.20
Hirnea, hera meri 8.16
Hiſtrionum pœnæ 293.8
Hoc, pro huc 77.27.217.19
Hoſpes pheſo 320.20

I.

IIbus 70.20
Id, pro ideo 319.31
Igitur, demum 270.26
Ignorare 16.16
Illic, pro ille 5.5
Immemor 62.15
Immundus ruſticus 25.5
Impotens 188.14
Incus 236.7
In daudire 71.14
Indicandi modus pro quouis alio 61.2
Ingeniari 321.14
Inhibere, verbum nauticũ 151.30
Inhibere imperium 151.26
Inhiare 320.2
In mentem eſt 12.17
In eo articulo 141.3
Interea loci 205.13
Intus egredi 258.5
Ioach. Camerarij in Plauti

editione fides 290 11
Io. Paſſeranij coniectura 279 10
Ioſiæ Merceri coniecturæ 231. 13. 320. 26
Iuno Cinxia 100.10

L.

LAmina compedum 178. 21
Langij variarum lectionum in Plauto bonitas 14.5
Lapſus animi 321.3
Lauationes veterum ante rem diuinam 16. 19
Laxus, & laſſus promiſcua ſcriptura 94. 5
Limborarij. 65.18
Lipſius 58.20
Longum eſt iterare 287. 4
LVBENS MERITO 27. 10
Lucris afficere 4 19
Lupillorum duricies 281. 15

M.

MAchaeria 66. 27
Mala ætas 182.16
Malo tuo 27. 22
Medidiés 151. 29
Meminiſſe 52. 56
Memor 63 18
Mentio 52. 9
Mentionem facere ibid.
Miſere viuere 551.8
Miſſu 89.22
Modo quod 32 17
Moliri 142.3
Molitrix Cæcilij 28. 8
Mutens 279. 22
Muſſare, a mu 7.21
Muttire, & muttitio conſonante gemina ſcribendum videri 7. 12
Mutuitare 215. 27

N.

NI, NIVS in ſtipulationibus 44. 18
Nicolaus Faber 12. 17
eius coniecturæ 98. 6 10 G, 17. 293.19
Nimium nimiumq. 275. 7
Non mu 306. 29
Non forte, temere, temerarium. 167. 23
Noſtri 38. 9
Noſtri homines 25.21
Noui homines 67. 11
Nunc places 280. 5
Nugidololoquides 259 17
Num moror 92. 11
Nummi comici ex lupinis 284. 17
Nummus plumbeus 165.22
Numquid aliud me vis 247. 23
Nũqnid me morare 247.26
Numquid vis 247. 23

O.

O Dij 58 15
Obſeruare 34. 23
Obſeruatio, ibid.
Occedere 228.25
Ocyus, abundat 271.3
Opino 248. 20
Opera mala 227. 10
Opera vocata, emta 283. 12
Optiones 104. 31

P.

Pacere 325. 24

Pactæ atq. ſponſæ 318. 18
Pacuuij Medus 74. 27
Pædagogi 239. 20
Palmetij laus 117.10
Patibulatus 168. 29
Pectere 154. 6
Pectus ardet 219. 11
Peditum 92.6
Pellecebrę 30. 50
Pellicere 31. 4
Pellices 31. 1
Pernicies 31. 8
Percipere 282. 6
Petronij Arbitri laus 141.5
Petrus Victorius 231.30
Phaſma Plauti eãdem eſſe cum Moſtellaria 165.26
Phui 170 14
Placide 116.11
Plani 189.20
Planum 201. 8
Plauti Oeconomia neglegentior . 195. 10
Plus minus 80. 5
Pœnulus aliter Patruus dicta 245. 25
Pollus, paullus, pullus in re eadem 276.5
Porculena 202.10
Poſtibi 205.10
Potiores in re amatoria 181.16. 303.8
Potiri mali 81, 23
Præmium 174. 23
Præter alios 41. 5
Pretio vincere 37.20
Prodi, in conuiuijs 267. 14
Procliue 201. 10
Probe, probiter 16.10
Producere 12. 26
Proficeri prandium 78. 4
Proloqui 187.31
Promere 317.29
Promi condi 317. 29
Pro oratione 271.19
Properam 145. 10
Propere 216. 11
Proſequi 12,25
Prouenire, bene, nequiter 305. 8
Pugnum ducere 6. 31
Pultiphagi. Itali 213. 23
Putei etymologia M. Varronis cõfirmata.198.1

Q.

QVæq. pro quæcumque 7.27
Quæ res 26. 31
Quæſere 297.17
Quæne, quodne 265.16.22
Quam pro quiſquam 11, 22.
Quia, pro cuia 266. 17
Quid, pro quammultum 136. 13
Qui die, in formulis 185. 13
Quidiam 105. 28
Quiue 15.26
Quiqui 286. 26
Quod ſupererat 96. 29
Quod, pro quo 198. 25
in oratione abũdans 32.17
Quoq. etiam 33. 10

R.

REm manibus tenere 90. 13
Repromittere 52 9
Res mihi cũ eo eſt 291.5

cum malo ei ſit ibid. 267.31
Reſtare 34.18
Reuocare 21.24

S.

Sambuci Plautus 12.14
Sane ſapere 9.2
Scelerare manus 315,31
Scorta diobolaria 244.25
Sectius nihilo 295.28
Sector, pro nſector 238.12
Sede ſua ſollicitare 221.9
Semel bibo 286.4
Seres 239.5
Setæ in barbis 239 5
Seruare 140.25
Seminium 34.23.2C2.12
Serui currẽtes vẽditi 37.17
Seueri 274.24
Si, pro cum 42.16
pro ſiue 45.8
Si, Sive in ſtipulationibus 74.18
Si qvid est opvs 126.14
Sine gratia 56.19
Si opera eſt 66,7.
Sirti 89.27
Sis 319.13
Solens abſceſſi 140.10
Solere 231.15
Solide formidare 298.15
Sortes 187.8
Sommorũ expiatio ſuperſtitioſa 13.9
Spartiatæ 188.32
Speratæ 318.18
Sperauit prod ihelleniſmus
Strigiliſi nlaneiſi 256.24
Subrigere 9.18

T.

Tam, pro tamẽ 181.32
Tangere ductim, tractim 6.30
Tantum quod 32.25
Tax 57.3
Te rogo 233.25
Tedigni loquides 259.9
Tenuere 80.31
Tergo videre 172.12
Terentius multa a Plauto mutuatus 49.20
Tu blandientis 136.30
Tuatim 10.10

V.

Veneris excubiæ 94.20
Venditare 213.25
Venit hereditas 91.19
Venus, noctu vigila, noctiluca 94.20.25
Verberones 17.24
Verſantur piſces 260.10
qui falluntur 160.19
qui animo fluctuãt 261.18
Vexare 121.14
Victores viuere 5.25
Vita 5.27
Vitula 5 29
Vitulari 5.30
Vuaria 247.3
Viuere probe 169.8
Vocare, in conuiuijs 21.11
Volo rem eſſe oratum 4.24
Volup 197.6
Volui 234.24

FINIS.

SCRIPTORES VETERES QVI HOC COMMENTARIO NOMINATI EMENDANTUR, augentur, aut illuſtrantur.

ACCIVS *Diomede emẽdatur.* 162.22
Idem Meleagro emend. 85 10
Neoptolemo emend. 85. 18
Pelopidis emend. 86,1
Æſchines 66,29
Afranius emend. 49,19. 160,5
Idem Diuortio emend. 84,22,29
Simulante emend. 162, 60
Suſpecta 6,23
Thaide emend. 162,28
Vopiſco emend. 128,7
Appuleius Mileſiarũ lib. I 13,2.
emendatur 42,6.296, 31
*Lib.*III.*emend.* 292,5
*Lib.*IV. *emend.* 297,11
*Lib.*VI.*emend.*297,28. 298,6
*Lib.*VII 52,16
Lib. IX. 79,3
emendatur 298,21
Floridis 256,26.321,16
emendatur 16,5
Apologia I. 73,30. 154,31.170,1.317,24
De deo Socratis emend. 268,16
Ariſtophanes Pluto 296, 8
Arnobius lib. III. *aduerſus gentes emendatus* 96,25
Lib. IV. *emend.* 92,9, 16.98,13. 99,10
*Lib.*VI.*emend.*100,3,15
*Lib.*VII.*emend.*99,24. 100,25
Auctor ad Herennium 154,28
Cæcilius emend. 86,8
Idem Fallacia emend. 160,26
*Cælius annalium lib.*VII.

emendatus 86,8
Cæſar lib. 1. de bello ciuili emend. 173,51
Caſtius Pius apud Senecam 245,4
Cariſius. 37,5.92,3.141,17.231,2.24[illegible],24.273,3.280,12
Caßius epiſtola ad M. Ciceronem. 231,28
Cicero. 9,24.32,27.72,15 219,13
Verrinis. 4,26
De prætura vrbana. 261,23
Iuriſdictione Sicilienſi emend. 261,24
Frumentaria. 209,10,14
De ſignis. 287,5
Suppliciis 251,6
Quæſtura. 209,15.246,8. 251,24
Pro Quinctio 156,29.220,9.268,18
Invectiuis in Catilinam. 64,27
In Piſonem emend. 10,15
auctus. 311,8
Pro Roſcio emend. 20,21
Murena. 21,15
Philippica II. illuſtratus. 34,29.78,6
De reditu ad ſenatum auctus. 311,21
Pro Cæcina emend. 43,3
Seſtio. 90,15
Agraria II. emend. 114,10.116,1
Pro Milone emend. 183,9
Lege Manilia emend. 108,3
De prouinciis conſularibus emend. 221,25.222,30
Pro Cornelio Balbo emend. 250,27,251,14
De finibus bonorum & malorum. 14,24
Lib. I. emend. 286,1
Lib. II. 55,10
Catone maiore emend. 41,5
Lib. VI. de Republica. 99,5
De Officiis lib. III. 171,25
Academicis 155,12
Academicorũ lib. 4.191,1
Lib. I. de natura Deorum emend. 251,25.286,29
Lælio emend. 260,25
Epiſtola ad Paetum 21,17
Ad Terẽtiam emend. 123,1.183,12
Ad Plancum 188,18
Lib. 7. ad familiares 269,18
Ad Atticum lib. I. 210,8
Lib. V. 210,11
Lib. VI. 115,8

*Lib.*XII. 154,27
*Lib.*XIII. 126,17
*Lib.*XIV.*emend.* 130,23
Donatus. 149,21.214,13
Ad Andriam. 49,9. 63,11.64,10
Adelphos. 9,28
*Phormionem.*80,29.81, 20.83,10
Decimus Laberius Mimographus emend. 322,30
Ennius. 6,5.45,8.184,18. 286,5.306,30
emendatur. 85,3.160,10
Creſphōte emend. 61,25
Eumenidibus emend. 86,5
Pancratiaſte. 61.7
Saturis 27,22
Thyeſte emend. 85,2
Euripides Hippolyto. 121, 25.158,28
Feſtus. 6,5.107,1.139,29. 182,1.237,5.323,25.
*emendatur.*228,8.316,9
*ſuppletur.*166,2
Florentinus I C. illuſtratus 52,11
Gellius. 4,27
Gloſſæ veteres. 35,23.42, 28.55,23.92,5.95,14. 99,20.121,15.180,6. 181,7.188,211,244,6, 273,3.
emendantur. 11,2,4
Horatius. 25,18.226,23. 247,6.284,19.
*Odarum lib.*1, 172,30
*Epiſtolarum lib.*1.274,29
Laberius Fullonicis. 132,8
*Lactantius Inſtitutionum lib.*1.*emend.*186,26. 187,25
*Lib.*II. 188,4
*Lib.*III.*emend.*188,26. 8.189,12
*Lib.*V.*emend.*190,12
*Lib.*VI. 22,6.184,31
emend. 190,22
De opificio Dei. 191,25
emend. 202,13
*De Ira Dei emend.*191, 5.191,14
Laeuius. 94,25
Liuius Andronicus emēd. 160,7
Liuius hiſtoricus. 14,23
*Lib.*III.*ab vrbe condita* 20,26,30
emend. 152,5.153,7
*Lib.*V.*emend.*153,12.27
*Lib.*VIII. 65,3
Lucanus 239,7
*Lucretius lib.*III. 99,6

Lib. VI.*emend.* 115,15
Macrobius 190,27
*Lib.*II. 322.6
Martialis 25,15
*Lib.*VII. *emend.* 240,11
Metellus Celer ad M.Ciceronem 268,4
Næuius 5,31
Agitatoria emend. illuſtratus 37,5
Nigidius in Grammaticis 10,13
Nonius Marcellus. 5,27. 10,10.17,3.18,11.21,31. 27,9.31,8.49,12.50, 18.55,27.58,27.61,25, 30.66,2,15.70,30.84 21,28.85,6,10,13,17, 25, 27,32. 84,4,8,12. 92,14. 108,9. 125,1. 131, 12. 138,29. 147, 27.150,5.165,15.182, 13.198,21.203,18.248 21.258,14.294,8.296 13.303,30.319,29.
emendatur 14.29.30, 15. 127,7. 128,5,30. 129,2,11,21,29.130,3, 6,16. 160,4,8,10,13, 17,25.161,6,14,24. 162,1,5,15,21,27.166, 21, 205,14.256,1.265, 25.291,30.315,19.316, 22.
Otho Iunius apud Senecam declamationibus. 258,32
Ouidius 239,18
Heroidibus 275,9
Pacuuius. 244,31, *emend.* 85,25.205,14
illuſtratus 131,18
Paullus Feſti mutilator 100,11.230,8
Paullus I C. 6,31
Petronius Arbiter 58,17 146,22. 173,16. 179, 30.189,30.233,27.
emendatur. 142,8,15. 143,11,23,30.144,3, 7,27.145,3,15.146,6. 154,2.172,31. 173,16, 27.172,1,18,23.175,6.
Philemo 274,18
Plautus locis extraordinarijs. 154,6.175,3.213,4
Amphitryone. 27,23.32,21 33,11. 34,11. 140,13. 222,16,18,19,20. 271, 20.17.319,32
explicatur 317,21
Aſinaria. 5,21.54,31 51,2.123,4.161,11.178, 24. 201, 15. 227, 12. 260,13.269,3.271,16.

281,31
emendatur. 53,9.
Aulularia 35,14.126,9. 167,27.182.13.232,15. 272,14.298,25.315,26
emendatur. 76,11
explicatur. 319,25. 320,7
Capteiueis 17,1.36,10. 39,9. 42,1,16. 48,27. 53,5.112,2.144,16.168 24.227,11.
Curculione. 58,27.70,27. 107,20. 167,31. 232, 29.320,12,14
Caſina. 4,4.64,16.90,. 24. 92,13. 140,3. 151, 28.185,10.247,29.258 7.259,30.291,27.317, 15
emende.xplicatur.817,22.
Ciſtellaria. 31,1.35,12. 56, 22.73,6.95,24. 293,9.
emendatur. 141,15
explicatur. 98,30
Epidico 81,25.95,270. 161,32. 229,38. 283,17
Bacchidibus. 80,32.131,9. 144,13. 167,25. 217, 25. 226,19. 248, 21. 258,9.266,11.275,24. 297,18.308,10.320,23
explicatur. 320,15
Moſtellaria 31,21. 55,14. 59,2.78,3.128,4.159, 13.161,12. 184,12.260, 13.270,27.279,27
emendatur. 198,25. 316,15
Menachmis. 21,21.67,17. 78,2.240,25. 247,28. 282,8.
explicatur. 324,12
Milite glorioſo 34. 24 80, 30.112,3.21,611.222,12
explicatur. 321,5,28
Mercatore. 25,1,66,9.71, 15. 82,15. 128,13. 139, 29. 230, 22. 250, 10. 320,21.
explicatur. 266.12
Pſeudolo. 25,3.35,25,42, 4.44,22.48,31.95,16. 170,18. 182,20. 269, 16. 286,27
Pœnulo. 106,18.148,10. 273,7. 284,20. 298,2. 320,30
Perſa. 63,16.65,25.105, 28.168,25. 198,15.248, 14,18
emendatur. 229,20
Rudente. 29,19, 44,18. 66,31.72,16.78,23.136,

14.169,10.120,11.280,
6.291,19
emendatur. 16,1.201,31
Sticho. 19,21.139,25.152,
1.183,30.199,18.303,11
emẽdatur. 10,3.229,16
Trinummo. 11,25.105,22.
309,21.320,5. 374,18.
emendatur. 229,18
Truculento. 67,14.81,15.
140,11.188,23.270,14.
280,9
Aſtraba. 318.18
Carbonaria. 168,32
Clitellaria emend. 139,28
Neruolaria emend. 316,8
Vidularia. 249,15
Cornicularia. 315,19
Plinius. 9,23.97,31
Pomponius. 234,28
Idem Herede petitore e-
mend. 162,16
Propertius. 4,16. 63,19.
91, 7. 122,5. 17 ,30.
237, 16. 167, 29, 30.
248,25.294,22
Idem Elegiarum lib. I.
emend. 16,26.227,27
*Lib.*III. *emend.* 238,25
239,8. 239,26. 240,
4,20.319.14
Quadrigarius Annalium
*lib.*II.*emend.* 16,25
Quintilianus. 192,3
Idem declamationibus.
74,11
Rufinus epigrãmatis. 318,
25
Salluſtius. 129,13
Santra Nuncijs Bacchis e-
mend. 129,3,12
Seruius 9. *Æneidos.* 168.6
Seneca præfatione decla-
mationũ emend. 252,10
Lib. 3. *controuerſiarum ẽ*
mend. 252,1
Lib. 6. 244,28.245,8
Lib. 4 *Naturalium quæ-*
ſtionum emend. 251,28
Silius Italicus Pœnicorum
lib. XIII.*emend.* 155,27
Statius Papinius Syluarum
lib. II *emend.* 107,30
Symmachus epiſtolarũ lib.
X.*emend.* 150,17
Tacitus annali I. *emend.*
236, 11
Terentius. 49,17.99,24.
154,9.285,20
Andria. 39,28.45,11.85,
4.136,16 *emẽdatur.* 49,
5.63,6,25. 64, 4,7,16.
Eunucho. 7,9.35,16.136,
30.154,21.181,18.257,

31.267,14. 281,28.308,
10.309,23.
illuſtratur. 251,5
Heautontimorumeno.
106,15.158,18
Adelphis. 92,15.141,3.
206,10. *emendatur.* 15,
27,30.42,2.83,5.206,18
32.207,11
*Phormione.*17,2.32,22.33,
20.42,17. 29,11,31.80,8
154,23.244,20. 258,16.
emendatur. 80,7,29.81,
9,20. 82,4,12. 83,3,13.
214,20.281,15
Tertullianus de habitu muliebri. 215,5
Tibullus. 14,21. 179,7.
206,29.*idem lib.I.emẽd.*
275,25. *lib. II. illuſtratus.*187,17.*emẽd.*275,15
Lib. III. 274.10
Lib.IV. 275,31
Titinnius Gemina emend.
166,22.*Idem Pſaltria emend.* 109,12
Turpilius Demetrio emẽd.
127,22. *Idem Leucadia emend.* 127,29
Valerius Flaccus reſtitutus lib.I. 318,8
Lib.VIII. 317,32
Varro. 165,17.*explicatur.*
131,28.*emendatur.*129,6
Idem Sexageſi emẽd. 22,4
Lib. IV. de lingua Latina emend. 57,1,15,25
Serrano emend. 61,30.
Papiapapa, ἢ περὶ ἐγκωμίων *emend.* 179,23
Lib. IV. de vita populi Romani emend. 128,30
ταφῇ μενίππου *emẽd.*
130,7
Epiſtola Iulij Caſaris emend. 130,16
Octogeſi emend. 160,15
Aiace Stramenticio emẽd.
162,1
Agathone. 291,30
Virgilius. 9,24.99,22.
121,16.187,11.260,20.
266,6
Georgicis. 143,7
Æneidos lib.I. 115.13
Lib.III. 143,3
Lib.VII. 187,2,13
Lib.XI. 62,10.179,25
Lib.XII. 143,14
Vlpianus IC. 281,29

OPERARVM ERRORES.

Repone, bene merenti pag.27. verſu,13.pariſſumi eſtis. 70. 28.ignoto, 88. 3. exercitationibus. 142. 8. coĕpulonis. 147, 29. ſic fiet.148, 20. δογματίσαι. 191. 7. ἐςῶτας, 8. magis non dedecet. 206, 24. exercitus expetitus eſſe. 221. 30. & nihil frequentius. 270. 10. Pluſcula alia quę occurrent, tute tibi facile indicabis.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI AMPHITRVONEM, QVÆSTIONES.

I. G. ERRICO MEMMIO. V. CL. S.

QVI te non amat, Errice Memmi, profecto eum Muſæ non amant. Nam quî poſſunt? cuius ea in excolendis litteris oſcitantia eſt, vt aſſertori earum & vindici tibi ſuam partem aut gratiam aut amorem deberi non putet. aſſertori vindici, merito tuo lubenter dico. Quid enim fuit, litteras fugitiuas reprehendere, & eiectas in ſtatum ſuum reponere? ſi hoc non fuit; tantum optimorum librorum & collegiſſe, bono tuo fato, & meliore publico prouulgauiſſe: etiam ingenio, quo polles poteſque, & doctrina, quæ in remp. intenta, ſubueniſſe, non de triuio ſcriptori alicui, ſed vni maxime, omnium poſt rem Romanam natam optimo, M. Ciceroni. Sentiat quiſque quod lubet, mihi ſic videtur, nec in honoribus, quos geſsiſti ampliſsimos, nec in fortuna florentiſsima tua

maius clariuſq. aliud inueniri poſſe. Et amabam te in penitiſsima Germania iam olim puer admodum, Ciceronis cauſſa: cui ego ſiue natura, ſiue inſtitutione, vnice deditus ſemper fui: nunc autem in Gallia veſtra hoſpes etiam amorem teſtificandi occaſionem arripui has in Amphitruonem Plauti Quæſtiones meas: exiles illas, fateor, & parum dignas fortaſſe iſta elegantia iudicij tui; adde ſi vis, procul bibliotheca, à peregrinante, paucis horis properatas: de quibus tamen ſatis quæſitum mihi videri pronunciabo, ſi tibi non omnino improbari intellexero.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI AMPHITRVONEM, QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Flocco habere. Dij læti, triſtes. Volo rem eſſe oratum. Victores viuere. Vita, Viuere, Vitula, Vitulari. Amphitruo varie correcta. locus Nonij explicatus.

VT ædium veſtibula, ita operum exordia, aiunt amœnitate ornatuq. ſuo inſignia eſſe debere: vt hac tamquam illecebra inuitatis lubido maior fiat vlteriora quoque perſpectandi. Id ego etſi non curarim, ne tamen plane negligam, venuſtum loquendi genus quod ex ipſo aditu comœdiarum M. Plauti excidit, in locum ſuum reponam: arguméto quod ſit, quam huiuſmodi emblemata multa in penetralibus ipſis diſiecta & deformata tranſierint; qui tam bellum antepagmentum in ianuæ ingreſſu calcarunt, non ſuſtulerunt: præſertim oſtenſum tamquám digito intento iamdudum ab alio. nam quod ἐν τῇ περιοχῇ Amphitruonis posteriore vulgant;

Habitu Mercurius ei ſubſeruit Soſia.
Is aduenientes ſeruum & dominum fruſtra habet.

Baptiſta Pius admonuit in ſuis membranis fuiſſe, *ſeruum & dominum flacco habet.* neque dubitandum arbitror, quin rectum ſit, *flocco*

habet. Flocco habere, idem quod floccifacere, nihili pendere; aut potius ludificari, & riſui ludibrióque habêre. nam ita Plautus Caſina, vt quidem Nonius laudat,

Perij! iam illic homo flocco habebit lumbos meos.

Hoc ergo tandem aliquando vnde vi deiectum eſt, iure reſtituatur: illud contra maneat ſtabile, initio prologi.

Vt vos in voſtris voltis mercimoniis
Emundis vendundiſq. me lætum lucris
Afficere.

nam viri docti aut mutant, *lætos lucris Efficere;* aut explicant, *lætum lucris* ἑρμᾶν τὸν φιλοκερδέα. neutri bene. *Læti dij,* cum propicij; vt omina & exta læta, quæ ſecunda: contra *triſtes dij,* cum irati. Propertius.

Nulla mihi triſti præmia ſint Venere.

Vnde paret, *lætum* Mercurium ſignificari propicium; &, *lucris afficere* ita dictum, vt paullo inferius; *afficere præda.*

Præda atque agro adoreaq. affecit populares ſuos.

Multis hinc verſibus,

Iuſtam rem & facilem eſſe oratam a vobis volo.

libri paullo veteriores etiam editi, *eſſe oratum.* quod vt ſuis legibus repugnans eiecerunt Grammatici. at non refugit vſurpare M. Tullius Verrinis, ſi Gellius verus eſt: *ſperant ſibi hanc rem præſidio futurum.* quanto ergo minus Plautus; τῶν ἀρχαιολόγων κορυφαῖος? mihi vero illud triuijs, hoc theatris dignũ videtur. Deinde, quod publicant.

Nam mos illi numquam fuit patri meo,

Vt exprobaret, quod bonis faceret bene.

ſcio vt hîc alij verba traijciant, ſed tu mihi ἀκολουθίαν ſermonis conſidera, & nihil verius arbitrabere, quam coniecturam meam. *Nam mos illic numquam f.p.m. illic* ἀρχαϊσμῷ *ille.* repono ex fide libri veteris etiam infra, ſcęna, *Bene proſpereq.*

Narrabit ſeruom hinc ſeſe a foribus Soſiam amouiſſe:illic adeo illum mentiri ſibi Credet.

qui mutarunt, verſui ſe conſulere arbitrati ſunt. cui aliter me mederi vt intelligeres, ſic ſcribſi. quæ res ignorata mirum eſt,quot locis corrumpendis fuerit. Sed ad Prologum, vnde diſceſsimus, reuertamur.

Virtute dixit vos victores viuere.

Alij libri, *innuere*; & fuit cum mallem, *victores cluuere.* ſed profecto ita eſt. ingenioſi ſæpe nimium ſumus, & vbi minime neceſſe eſt. Hic certe litterarũ & ſyllabarum παρήχησιν poëta manifeſto captauit, ſeruiens auribus ſui ſæculi: vt & Aſinaria.

Approperabo.ne poſt tẽpus prædæ præſidium parem.

vtroque verſu litteræ eiuſdem iterationem & ſyllabarum reſonantem ſimilitudinem ſentis. *Victores viuere*, eſt pro victoribus ſe gerere, victoria efferri, & tamquam vitulari. recte enim id verbum Nonius deducit a *vita*, quæ interdum lætitiam lubentiamq. ſignat; vnde dea hilaritatis præſes, *Vitula.* etiam *viuere*, lubentiis diffluere; hoc eſt, *vitulari.* & induxit illum, ita vt arbitraretur Næuius. qui ſi a vitulo deriuaſſet, primam ſyllabam corripuiſſet;

nunc produxit.

Vt in venatu vitulantes ex ſuis
Locis nos mittant pœnis decoratos feris.

Sic eos verſus ſcribo, & locum Marcelli explico. neque aliter Ennius apud Feſtum,

Habet is coronam vitulans victoria

nam quod ibidem a vitulo deducitur, Longobardi mutilatoris ſomnium eſt, non Feſti oraculum.

CAP. II.

Tangere tractim, ductim. Pugnum ducere. Muttire & muttitio, conſonante geminata ſcribendum videri. Sane ſapere. Amphitruo correcta, explicata pluries.

TENVE eſt illud ſcænæ primæ principio, ſed peccatum tamen;

Hæc heri inmodeſtia coëgit me, qui hoc
Noctis a portu ingratis excitauit.

interpunctionem muto, *coëgit, me qui.* Excitare, honeſte poſitum pro domo mittere. & pari venuſtate Afranius, *explodere.* Suſpecta. *In Arpinos iam quantum pote hominem explodam, vt villicetur.* Etiã illa lõge hinc infra,

Quid ſi ego illum tractim tangam, vt dormiat.

perbelle ludere videntur, tralatione a nutriculis ducta, quæ puſiones palma leniuſcule demulcent, vt dormiant. Hinc in rem ſeriam detorto verbo *tractim tangere*, palma ferire eſt; vt *ductim*, pugno. vnde Paullus I C. dictionis latinæ in paucis diligens, *pugnum ſeruo ducere* di-

xit,l. 4.de iniurijs. Poſtea omnes edunt,

ME. Rex Creo vigiles nocturnos ſingulos ſemper locat.
SO. Bene facit, quia nos eramus peregri, tutatuſt domum.

at quanto verius Langiani? *tutatuſt domi.* Captauit manifeſto ἀντίθεσιν, in peregri & domi. & genus dicendi nimis quam elegans eſt, ad hoc Terentij exemplum Eunucho.

Qui, malũ, alij? ſolus Sannio ſeruat domi. Ad iſta,

ME. Etiam mutis? SO. iam tacebo. ME. quis tibi heruſt?

monebo ſemel, quod memineris ſemper, *muttire* & *muttitionem* libri ſcripti præferunt, hîc Langiani, alibi etiam mei, quantum memoria conſequor, ſemper. probat idem τῆς ὀνοματοποιίας ratio. nam ſonus harum vocum geminata conſonante propius, vt opinor, ad ſuſurrantium ſecum murmura accedit, quam ſi cum vulgo ſcribas, *mutire* & *mutitio*. Poſtremo à *mu muſſare*; & eadem ἀναλογίᾳ, *muttire*. qua de re ſic cenſeo. Deinde eſt.

ME. Quid domum noſtram? SO, ita enim vero;
ME. quin quæ dixiſti modo,
Omnia ementitus,

eædem membranę, *quin quæque dixti modo.* optime. *Quæque*, pro quæcumque, germaniſsima Plauti vox. infra, hac fabula. *quemque hominem aſpexero, obtruncabo in ædibus.* At dices, ruere ita verſum, neque ſuſtinêri poſſe. mane. nam iſthuc ibam. tralatitius error librariorum eſt, in litteris, quæ geminari debuerant, ſemel ex-

primendis. is hîc etiam nocuit, & certe ſcribſit Plautus, *quæque edixti*. probum id verbum, & quod ne Cicero quidem refugit; atque ad eam formam ſunt, eloqui, enarrare, ſexcenta alia. quod ſi Plautum bene noui, vt videor; quia hîc dixerat *edixti*, ſubijcit, *omnia ementitus:* vt ab eadem littera incipiat verbum. quod amaſſe caſcos iſtos & ſupra admonui, & tamen neceſſe non erat, in re aperta. Itaque etiam illic,

ME. Cadus erat vini. inde impleui hirneam.
SO. ingreſſuſt viam.
ME. Eam ego, vt matre fuerat natum, vini eduxi meri.

quia in mss. reperiri videbam, *vini eduxeram eri*, ſuſpicabar a poëta relictum, *vini eduxi eram meri*. vt fecerit dominam ſiue heram vini, lagenam vino vberem & differtam; pari venuſtate qua eidem vino matrem dedit. & vt naſcuntur pueri matribus, atque educuntur, qua in ambiguitate luſit ſeruiliter: ita ijdem ſi vernæ ſint educuntur ab heris ſiue matribus familias. quam ipſam heram ſe *eduxiſſe* ludens ait: hoc eſt, vt e ſpectatoribus multi audiebant, educaſſe; vt ipſe intelligi vult, obbibiſſe. accedit huc, quod & ſententia vocem requirat, & verſus fulcimentum. Sed concludam caput, vnum etiam ſi monuero, ab interpretibus neglectum, aut intellectum parum. ſub finem ſcænæ,

Sed quom cogito, equidem certo idem ſum qui ſemper fui.

Noui herũ, noui ædes noſtras, ſane ſapio & ſentio. *Sane*, eſſe hoc quidem loco ſaniter, vt ſani homines ſolent. Nam qui ſapit animo & ſentit ſenſibus, is ſanus eſt.

CAPVT III.

Domatis. Tuatim. Diſertim. In Amphitruone quædam correcta. Cicero in Piſonem explicatus, emendatus. item Gloſſæ veteres locis duobus.

SCÆNA, *Bene vale Alcumena*, quod publicatur,

AL. quid iſthuc eſt, mi vir, quod tu tam ſubito domo
Abeas. IVP. ædepol haud quod tui me, neque domi diſtædeat.

ſuſpectum faciunt membranæ veteres, in quibus ſcribitur, non temere vt arbitror: *neque domatis tædeat.* an ergo rectius, *domuis tædeat?* an potius hoc ex ijs eſt, quæ ad Græcam declinãdi formam a priſcis elata ſunt? idq. certum arbitror, & *domatis* ſcriptum, quaſi τῦ δώματος. vt in Plinio *probata*, τὰ πρόβατα; in Cicerone & Virgilio *acta*, ἡ ἀκτὴ. Paucis poſt verſibus.

Obſeruatote, quam blande mulieri palpabitur. numeri non conſtant. iambum. n. trochaicum non recipit & Donatus ad Adelphos Terentij aliter laudat, *Obſeruatote vt blande palpetur mulieri.* ſcribas, *Obſeruate*, & ſenarius exibit iambicus: quem tamen trochaicis inmiſcuiſſe non confirmo. itaque vt hoc relinquo in me-

dio,ita ſub finem ſcænæ huius illic,

Nunc nox te, quæ me manſiſti, mitto vt cedas die.

plane cenſeo emendandum, *concedas die*, numeris poſtulantibus; & quod ſimillimum carmen ſuperius effudit. *Ita ſtatim ſtant ſigna, neque nox quoquam concedit die.* quo hîc reſpici apparet. Scæna ea, quæ ſequitur.

SO. Eccere, jam tu autem

Facis, vt tuis nulla apud te ſit fides.

Recte Lambinus, *tuatim facis*; e Nonio & veteribus libris. *tuatim*, tuo more, ita vt facere conſueſti. nam hæc aduerbia aſsimilanter dici Nigidius in Grammaticis docuit. tale eſt, quod apud M.Tullium olim iam repperi mēdum & ſuſtuli, Oratione in Piſonem. *Iſte*, inquit, *claudus, quemadmodum aiunt, pilam retinere: quod acceperat teſtificari, tabulas obſignare velle, Epicurum diſertum decernere. & tamen dictum opinor, ſe nullum bonum intelligere poſſe, demtis corporis voluptatibus.* optimi libri, quibus vſus eſt Faernus; *Epicurum diſertum dicere. eſt tamen dicit, vt opinor.* Diuinatore opus eſſe vides, inquit Lambinus. is an ego fuerim, ſodes conſidera. Lego enim, *Epicurum diſertim dicere; & tamen dicit, vt opinor*; Verba Ciceronis verbis Piſonis interiecta locum obſcurauerunt. ait Piſo, Epicurum diſerte dicere, extra voluptates corporis ſe beatum nihil repperire: & ei aſſentiens Cicero; & tamen, inquit, dicit hoc Epicurus, vt opinor. *Diſertim* corruptum in *diſertum* fuerat etiam Plauti Sticho. *Fuit diſertim, verum id vſu perdidi.* quod mendum Camerarius correxit.

Gloſſæ veteres, *Diſceptim*, σαφῶς, φανερῶς. Reſcribo, *Diſertim*. vt in hiſdem Gloſsis reſtituendum non longe hinc, *Diſperilis* ἀνόμοιος. nam male vulgo eſt, *Diſcerilis*.

CAPVT IV.

Inductus. Proſequi, Producere. In Amphitruone emendanda, illuſtranda proceſſum.

CVM noua ſcæna caput nos quoque nouum ordiamur, & ruta cæſa librorum Langij, vt cœpimus, rei noſtræ cauſſa diligenter ſcrutemur: ea hoc verſu,

Eos auſpicio meo atque ductu primo cœtu vicimus,

malunt, *inducto*, quam vt editur, *ductu:* & non aſpernor ego. duplex in vna voce ἀρχαϊσμὸς; in componendi primum, deinde declinandi ratione. Paullo poſt.

Grauidam ego illanc hîc reliqui, quom abeo. SO. ei perij miſer.

illæ membranæ, *quam abeo*. ſubintelligo, *prius*, & ſolens ea ſermonis ἀποκοπὴ Plauto. Trinumo. *conſit cito*

Quam ſi tu obijcias formicis papauerem.

cito quam, poſitum pro, citius quam. neque deſunt alia exempla: ſed nos alio properamus. Sequitur.

AL. Magis nunc meum officium facere, ſi huic eam aduerſum, arbitror.

in Langianis fuiſſe videmus, *Magis nunquam*

meum. litterulam vnam afugiſſe opinor, quam retraho. *Magis nunc quam meum officium facere.* Deliberat cum animo ſuo Alcumena, obuiam ne eundo an manendo magis officium ſuum factura ſit: & reſpondet ipſa ſibi, magis conuenire vt maneat. cum vir ſuus non nunc primum adueniat peregre, ſed modo digreſſus domum tentandi ſui, an qua alia de cauſſa reuertatur. itaque ne ſalutat quidem, aut oſculum offert, quæ leuiora: tantum abeſt, vt obuiam proceſſerit. hoc verum eſſe, plane arbitror, & locum hunc ab iſtorum interpretum nemine hactenus intellectum. a me facit id etiam, quod in V. Cl. Io. Sambuci codice eſt, *facerem*. quadrat enim huic ſententiæ. niſi quis inde fecerit, *facere me*: quod nō placet. Deinde.

Quî iſthuc in mente eſt tibi, mi vir, percontarier

mss. *in mentem eſt tibi.* nec pote quidquam probius, vt nec illo quod ijdem præferunt,

Neque meum pedem huc intuli etiam in ædis, vt cum exercitu

Hinc proſecutus ſum ad Teleboas hoſtes, eoſq. vt vicimus.

quod perperam omnes edunt, *Hinc profectus ſum*. *Proſequi*, officioſum verbum; & in eodem ſignificatu, *producere*. proprie, de amicis qui ſuos peregre euntes ad portam vſque comitantur, & in viam inducunt, boni ominis aut præſidij cauſſa. vtrumque tamen etiam ſimplicis ſui ſolam ſignificationem ſæpe habet. & alterum quidem hîc ſcite de imperatore vſurpatur, nam is vt ſeruet incolumes milites, vna

proficiſcitur. alterum non minus venuſte Appuleius Mileſiæ fabellæ I. *Fotis,inquit, hoſpitem meum produc ad proximas balneas.* Paullo poſt in Soſiæ verbis,

Recte dicit,vt coniuit! ſomnium narrat tibi.
Sed mulier poſtquam experrecta es,prodigiali Ioui
Aut mola ſalſa,hodie, aut ture cõprecatã oportuit.

ſuperſtitio veterum in expiandis ſomnijs tangitur,non obſcura illa quidem de multis ſcriptorum locis;ſed neſcio an vllus clarior Martialis epigrammate,quod eſt libri VII. LVIII. quod ea de cauſſa totum huc adſcribſi.

Semper mane mihi de me mera ſomnia narras,
Quæ moueant animum ſollicitentq. meum.
Iam prior ad fæcem,ſed & hæc vindemia venit:
Exorat noctes dum mihi ſaga tuas.
Conſumſi ſalſaſq. molas & turis aceruos,
Decreuere greges,dum cadit agna frequens.
Non porcus,non cortis aues,non oua ſuperſunt;
Aut vigila,aut dormi, Naſidiene, tibi.

CAPVT V.

Reſtare. Præter Amphitruonis loca aliquot, Pacuuius apud Nonium reſtitutus.

SVB finem ſcænæ eius quæ hanc proxima ſequitur nimis apertum mendum eſt in illis verbis,

Mercurium iuſſi me cõtinuo conſequi:
Si quid vellem, imperarem:nunc hanc alloquar.

ſed quod vel coniectare facile fuiſſet, corri-

gunt iidem libri, *Si quid vellem imperare.* & profecto ita eſt, vt ſentio; ex lectionum diſcrepantiæ, quas C.Langius digeſsit tantum, theſaurus boni ſunt; verum, vt de amico vero poëta neſcio qui dixit,

τῶ καὶ τηρῆσαι τοῦτον ἐπισταμένῳ.

Nunc, quæ vecordia horum hominum eſt, diuitias iſtas rimari tot annis vix vnus & alter aut potuit aut voluit. ita gemmæ pluſculæ hactenus in occulto deliteſcunt: quas ego, quod in me erit, eruere, & ſi quę ſcabruerunt ſitu expolire, operæ non parcam meæ. quod poſtremum non ineleganter feciſſe viſus mihi ſum, ſcæna primore ſequenti.

Ea quæ ſunt facta infecta refert ac clamitat. in iſtis membranis fuit, *infecta re eſt at clamitat.* Vtinam tam in procliuo ſemper veritas! nam hîc certe ſcribſit Plautus, *infecta reſtat, clamitat.* *Reſtare*, ſelectum linguæ latinæ verbum in pugnis, in litibus, in ſemitis habitat: vbique decentiſsime. Neque exempla deſunt. Tibullus.

Dum fugiunt Troes; dum reſtat barbarus Hector.

& apud Liuium hoc ſenſu ſexcentis locis, & quod excurrit. M. Tullius de finib. bonorum & malorum. *Nullam quærentes voluptatem Stoici reſtant:* hoc eſt, ἀντιλέγονται, διερίζουσι. vt hîc Plautus. Pacuuius Medo. *Si reſto pergit; at iam ſi ire conor, prohibet betere.* ſic locum maculoſiſsimum Nonij in Betere emaculo. octonarius enim eſt, quem iſtæ harpyiæ deformarant ita, vt ſententia vix vlla dilucẽret. neque Hedus in Pacuuij poëmatis vſquam nominatur;

ſæpe Medus. Sed vorſoriam capiam, & Thebas ad Amphitruonem reuiſam, ſubditiuum dico non verum. is eadem hac ſcæna de Amphitruone vero ſecum.

Is adeo inpranſus ludificabitur.

Verſus cauda mutilus eſt, & Langius poſt verbum *ludificabitur* vidit in ſuis, *ſolus*. quod quomodo ille acceperit non ſum neſcius: notam ſcilicet eam fuiſſe grammaticorum, qua indicarint loqui ea quæ inibi ſequuntur ſolum Iouem ſecum. & eſt ita ſane; ſed quin ea nota vocem Plauto interceperit, non dubito: quam repono, *Is a. i. ludificabitur dolis.*

CAPVT VI.

Qui ne. Ignorare, pro aſpernari. Amphitruo emendata, illuſtrata. Correctus item Terentius & Propertius. Trinumo locus nunc primum explicatus.

SCÆNA, *Vos inter vos, partite.*
AM. Blepharo, quaſo vt advocatus mihi aſſis, neue abeas. BL. Vale. Quid opuſt me aduocato, qui vtri ſim aduocatus neſcio.

In mss. *quin vtri.* ſcribe, *quine vtri:* vel cum apoſtrophi nota, *quin' vtri.* *Quine* affirmat venuſtiſſimo ſermonis genere. Terentius Adelphis. *Quin' omnia ſibi poſtputauit eſſe præ meo commodo?* id reſtituo iiſdem Adelphis e fide libri veteris Colonienſis, Scæna *Omnem rem.*

DE. Satine ſcis ibi eſſe? SI. oh, quin' egomet produxi? DE. optum eſt.

vulgo *qui*, aut, *quem*, minus lepide. in Rudente autem noſtri huius ea venuſtas orationis exſtat quidem, ſed fruſtra. nemo enim intelligit. Scæna, *Meamne ille.*

Age ambula in ius. L A. quid ego deliqui? P L. rogas?
Quin arrabonem a me accepiſti ob mulierem, &
Eam hinc abduxiſti.

apoſtrophum adde, *Quin' arrabonem*: & ſentis opinor iam quanto hæc efferantur ſuauius. nam quod diligẽtiſsimus Lambinus corrigit, *qui*, Muſis omnibus invitis facit. Ne hoc quidem Amphitruone recte accipitur,

Quem omnes mortales ignorant & ludificant, vt lubet.

ſed notabis *ignorant* dici pro ignorare ſe ſimulant. nam ignorare, aſpernari eſt, & cognoſcere nolle; quaſi ignotum & alienum negligere. Aſinaria.

Eadem nunc cum eſt melius, me cuius opera eſt ignoras mala.

Hoc ignoratum inſignem Propertij locum corrupit libro II. ſic enim vulgo cum ſit,

Cur hæc in terris facies humana moratur?
Iuppiter, ignoſco, priſtina furta tua.

tamen in mss. eſſe *ignoro* oræ librorum indicant. quod valde placet. Nam miratur pöeta Iouem ab amoribus ſuis animum manuſq. abſtinêre: cum nulla earum quas μυθόλογοι Ioui amicas attribuunt, cum hac comparari poſsit, quas omnes ita ſe ſpernere ait, vt ne noſſe quidem aut meminiſſe vllus velit. Ita

vſurpatur etiam Capteiueis. *Ne tu me ignores tum extemplo e meo conſpectu abſceſſeris.* & Phormione Terentij. *Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parens.*

CAPVT VII.

Verberones. Fragmenta duo in locum ſuum hac fabula repoſita. Totidem locorum correctio & explicatio.

QVOD me fugit monêre ſcæna prima, id nunc dicam. illis verſibus.

Ain vero? S O. Aio enim vero M E. verbero. S O. mentiris nunc iam.
M E. At iam faciam vt verum diſcas dicere.

in ſententia eruenda laborant eruditi viri; quam tenuis nubecula obſcurauit. Eam dimoueo e fide V. CL. & mihi amiciſſimi Nicolai Fabri. nam is in vetuſtiſſimo libro diſerte legit, *At iam faciam vt verum dicas dicere.* aptiſſime hoc quidem ad ſenſum Plauti. Verberonem ſeruili conuicio Soſiam Mercurius increpat. id ille alio torquens, mentiris ait: neque enim verberas; vel potius, neque .n. ſum verbero, qui non verberor. nam verberones plagitribæ ſunt, quorum coſtæ plagis & verberibus callent. Ad hoc Mercurius; faciam, inquit, mox dicas me verum dicere, & te eſſe verberonem, cum contundêre pugnis probe. Addam nunc fragmentum huius fabulę, quod laudat Nonius in Vulgare.

Cuiq. me abſente corpus vulgauit ſuum

Id ego plane arbitror excidiſſe e ſcæna *Quis*

tam vaſto impete; quam germanam Plauti eſſe vel idem Nonius ſatis probat. inibi ergo cenſeo, adhæſiſſe olim iſtis verſibus,

AM. Immo hunc ego Thebani ciues, qui domi vxorem meam,
Impudicitia impediјt, quem teneo theſaurũ ſtupri,
Cuiq. med abſente corpus [vxor] vulgauit ſuum.

Et quoniam audacior fui ſemel, quid vetat iterum periclitari fortunam? præſertim cum etiam probabilius ſit futurum, quod monebo. Citat idem Nonius in Decernere ex Amphitruone,

Qui nequeo noſtrorum vter ſit Amphitruo decernere.

Hoc ego, cum nuſquam compareat, ſuſpicione prope certa adducor, vt credam fuiſſe ſcæna *Vos inter vos*, poſt hos verſus.

AM. Blepharo quæſo te, vt aduocatus mihi aſſis, ne ue abeas BL. Vale.
Quid opuſt me aduocato? qui ne vtri ſim aduocatus neſcio?
Qui nequeo voſtrorum vter ſit Amphitruo decernere.

Sed vt aliud ex alio incidit, ſequitur ſtatim eadem ſcæna,

IV. Intro ego hinc eo, Alcumena parturit. AM. Perij miſer!
Quid ago? quem aduocati iam omnes atque amici deſerunt?

Omnes hîc libri ſcripti vt ex Langij, Fabri, interpretum veterum verbis colligo, *Quid ego.* id me, vt ſum in his huiuſmodi curioſe ſuſpicax,

pupugit. neque enim opinor temere tot libri in vulgatiſsimo verbo tam pertinaciter diſſentiunt. Vide ergo ſi perſonis aliter collocatis ſcribendum ſit.

IV. Intro ego hinc eo. Alcumena parturit. perij miſer.
AM. Quid ego? quem aduocati iam omnes atque amici deſerunt.

Iuppiter cum Amphitruonem egregie verbis & argumentis confutaſſet, redire ſe intro ait. tum inter eundum tumultum & clamorem Alcumenę parturientis exaudiens, Alcumena, inquit, parturit: & addit, perij miſer, amicæ ſaluti prætimens. neque mihi hoc quiſquam, Ioui parum conuenire hanc formidinem. nam hęc ipſa ſimulatio ſcænam adiuuat, & Amphitruonem ex ſubditiuo prope germanum facit. Huic ſubijciens Amphitruo: quid ego, inquit? an non magis perij etiam, quem amici & noti omnes deſerunt. Simillimum eſt huic illud Sticho.

—— *PA. ſalua ſum.*
DI. At ego perij, cui medullam laßitudo perbibit.
GE. Quid ego? cui miſero medullam ventris percipit fames.

CAPVT IIX.

Vocare, *conuiuiorum verbum, ei reſpondere* reuocare *nunc primum oſtenſum. Roſciana Ciceronis explicata, emendata. item Varro apud Nonium leuiter.*

MAGNA laus, E.Memmi, loca optimorum ſcriptorum male affecta perſanare; ſed profecto non minor eoſdem, vbi obſcuriores ſunt, illuſtrare: vtrumque quidem boni critici munus eſt. nunc illud certatim omnes ſatagunt; hoc pauciſsimi perſequuntur, ita quidem, vt par erat: ne iſti pro ſe dictum putent, qui clariſsimis locis commentariorum molem circumfundunt, hoc eſt, vt ego exiſtimo, mero meridie cum face in foro obambulant. Quos imitari non lubet; ſtulti enim eſſet. ijs tamen quę aut obſcuritate ſua, aut noſtrorum hominum incuria, vel ignota plane vel certe a nemine explicata eſſent, lucem adferre; id mearū partium, cum Ciceronis multa emaculanda ſuſciperem, vel maxime arbitrabar. Cuius rei guſtum aliquem tibi dare libuit, & hac tamquam coronide Amphitruonem concludere. Verba M. Tullij pro Sex. Roſcio Amerino ſunt.

Illa, opinor, tu quoque concedis leuia eſſe atque inepta. Conuiuia cum patre non inibat. quippe qui ne in oppidum quidem, niſi perrarò, veniret. Domum ſuam iſtum non ferè quiſquam vocabat. nec mirum, quem neque in vrbe vidêret, nec rure vocaturus eſſet.

Ad quem locum Fr. Hotomanus interpres & fama ſua, & vulgi opinione maior; QVEM NEQVE IN VRBE VIDERET. *Valde hoc probo, quamuis omnes libri diſſentiant. nam ſi illorum lectionem probaremus,* QVI NEQVE IN VR-

BE VIVERET, VOCATVRVS *verbum quo referatur, non habebit. pro quò tamen ipſo valde placêret, vt legeremus* EVOCATVRVS. Hæc ille. cuius teſtimonio cognoſcimus locum a cēſoribus Italis interpolatum eſſe; cum omnes libri ſcripti eum aliter repræſentent. Et liquet mihi deierare, nihil ſincerius eſſe ea lectione, quam antiquiſsimę editiones præ ſe ferunt, QVI NEQVE IN VRBE VIVERET, NEQVE REVOCATVRVS ESSET. *Vocare* ſollemne Romæ verbum in inuitationibus cōuiuiorum fuiſſe in Veriſimilibus nuper docui: & tamen neceſſe admodum non erat, obuijs paſsim exemplis. pro Muręna, de tenuioribus amicis. *Non dicere pro nobis, non ſpondêre, non vocare domum ſuam poſſunt.* Epiſtola ad Pætum. *Nos iam ex artis tantum habemus, vt Verrium tuum & Camillum, qua mundicia homines! qua elegantia! vocare ſæpius audeamus,* Menęchmis Plauti, de hominibus negocioſis, quique conuiuia rari aut intrant, aut agitant.

Qui neque vocantur, neque vocant.

Vocandi verbo tamquam e regione reſpondet, *reuocare:* id eſt, eum apud quem conuiuio acceptus hilare fueris, viciſsim ad te inuitare. ea illius verbi ſignificatio quibus ignota, aut barbara viſa eſt, & locum & loci ſententiam peruerterunt. Probat tamen ἀναλογία in exemplis ſimilibus, remittere, redire, referre, remunerari, reuincere, alijs infinitis. & docet etiam Nonius ita locutos veteres. *Reuocare,* inquit, *poſitum per vices mutuo vocare. Varro Sexageſi. Qui no-*

bis miniſtrarunt pueri diebus feſtis cicer viride. qui nos prouocare,aduocare cum audeant, nos illos reuocare timemus? Vbi tenue mendum amoueo & lego, *prouocare ac vocare.* Denique vſurpat Ciceronis ſtudioſus imitator Lactantius ,Inſtitutionum diuinarum libro V I. *Idem Deus præcepit, vt ſi quando cœnam pararimus, eos in conuictum adhibeamus;qui reuocare nō poſſint,& vicem reddere.* quem qui ad hunc Ciceronis locum reſpexiſſe non videt,Lactantium ignorat. Cum igitur accuſator Roſcio obieciſſet,a nemine illum vocari:non mirum id eſſe,ait Cicero, cum ille neque in vrbe viuat,vbi concœnationes iſtę ſodalium celebrantur, neque in tam attenta vita parem gratiam repoſiturus ſit in ornando viciſsim conuiuio: qua ſpe multos multi vocant,atque,vt ait noſter comicus,

Eos requirūt,qui libēter cum ederint reddant domi.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI ASINARIAM QVÆSTIONES.

I. G. BARNABÆ BRISSONIO, Sacri conſiſtorij Regij Senatori, & in ſuprema Curia Pariſienſi Præſidi, S.

ANTIQVITAS & hiſtoria iuri ciuili quantum lucis adferrét, dubitari fortaſsis antehac potuit; deinceps quidem iam non poteſt. Effeciſti enim tu, Briſſoni, vt æqui iniquiq. omnes fateantur, legum ſine illis luminibus cognitionem ſubobſcuram & perplexam iacêre. Et difficile dictu eſt, túne humanitati, an illa tibi maiori ornamento & decori fuerit. nam & gradus illi, per quos ad ſummos honores eſcendiſti, haud dubio non iuris tantum, ſed litterarum etiam fundamentis, & multo quidem magis, innituntur; & tu cottidie ea κειμήλια aut eruis, aut profers ex intimo penu eruditionis tuę, quę optimarum artium dignitatem augeant, & fructus vberrimos magis magiſque oſtendant. Quare non aſpernaberis, ſpero, munus hoc noſtrum litterarium, non quidem eius generis cuius tua ſunt omni venuſtate & elegantia perpolita, ſed tamen ex eadem officina Muſarum exiſſe vt appareat.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI ASINARIAM
QVÆSTIONES.

Capvt I.

Aſinaria e Diphilo tranſlata. Agyrippus. Chlamidatus, Excire. Prologus & Periocha emendantur.

FESTIVA fabula eſt, & ridiculę varietatis plena Aſinaria. eam e Diphilo Plautus tranſtulit, vt alias aliquot; non, vt vulgarij libri errãt, e Demophilo. ſic enim verſus Prologi, qui hoc indicat, in libris ſcriptis concipitur.

Diphilus ſcribſit, Marcũ Attius vortit barbare. recte, & laudantur inter eius poëtæ fragmenta quędam ἐκ τῆς ὀνηγοῦ: vt mirer tam apertum mẽdum libros hactenus obſediſſe tamen. Pari negligentia adoleſcens, cuius hîc primarię partes, *Argyrippus* vocatur; cum eum libri membranacei *Agyrippum* conſtanter perſcribant, ἀπὸ τοῦ ἀγυρεῖν τὸν ἵππον, vt exiſtimo. quaſi tu dicas peritũ rei equeſtris, & equi ſcite in gyrum agendi artificem. quod adoleſcentię ſane quàm conuenire omnes vident. Etiam illum qui pro aſinis pretiũ affert Mercatorem docti iuxta & indocti dicimus: at libri, *Chlamydatum*; haud paullo rectius. nam Chlamys, viatoria veſtis eſt: quod iam diu eſt, cum alij docuerunt, & planiſsime intelli-

gitur ex noſtri huius Mercatore: & hinc chlamydatos, qui peregre aduenirent, ab habitu fere vocabant. Pſeudolo.

Quis hic homo chlamidatus eſt, aut vnde eſt, aut
quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis.

Sed ad prologum Aſinariæ vt reuortamur; in eo ille quoque verſus legitur aliter quã bene.

Face iam nunc tu præco omnem auritum poplum.

arguunt omnes vetuſte editi & manu deſcripti, qui vno conſenſu habent, *Ecce iam nunc*, Scribſerim, *Exci.* Id enim verbũ præconio in munere proprie dici oſtendunt ab eadem origine verba, *excitare & ſuſcitare.* quorũ exẽpla paſsim in Martiale obuia. *Auritum facere*, pro attentionẽ mouêre alicuius latinum non arbitror. auritum populum accipio, qui vſu aurium non deſtituitur; vt in Horatio, *auritas quercus.* Iocus eſt, vt nonnulla Plauti, frigidior: auritis vt ſilentium imperet. nam ſurdos fruſtra inclamaturus erat. Sed, quod me pæne fugerat monêre, perioche huius fabulę poſteriore non concinne hæc inter ſe cohęrere videntur.

Riualis amens ob præreptam mulierem,
Is rem omnem vxori per paraſitum nunciat.

Ea cauſſa olim putaui reponendum, *It rem omnem*, neque eius me coniecturę adhuc pęnitere poteſt.

CAPVT II.

Quæ res? Malo tuo. Plauti locus ab Ennio. Scæna prima emendata. Perſonarum inuerſione locus inſignis reſtitutus.

HOmo mehercle non eſt, qui quidquam humani a ſe alienum putat. id quod faciunt, qui ſe ſolos venuſtos, pulcros, eruditos putant; aliorum bene dicta aut faſtidioſe negligunt, aut odioſe vellicant, aut ſceleſte alieni patris familias ſuppellectilem pro ſua venditant. Mihi vero longe alia mens eſt, abs quouis homine adiumenta litterarum vt beneficium accipere, & ἁμαρτήματα mea cũ per meipſum corrigere, tum alios reprehenſantes libenter ferre. hactenus, ſi bono modo & ſtabili iudicio fiat. Itaque non pudebit illo verſu ſcęnæ primæ,

Per Dium Fidium quæris, iurato mihi
Video neceſſe eſſe eloqui, quicquid roges.

retractare ſententiam. tametſi valde πιθανὸν ſit, poëtam ſcribſiſſe, *quæ vis*. vehemẽter enim hoc ad ſententiam facit. Sed profecto verum eſt, quod in mẽtem amico meo poſtea venit. is Gabriel Rolãdius eſt, ea in me ſuauitate, fide, amore, præſens abſenſq. cognitus, vt tam cari capitis memoriam non niſi cum vita poſiturus videar. ille igitur multò εὐστοχωτέρως,

Per Dium Fidium, quæ res? iurato mihi.

Quæ res? ſolemnis formula perturbatorum & affectu ſiue iracundię ſiue altero quopiam

animo fluctuantium Infra, hac fabula. *Quæ res? tun libero homini Male ſeruos loquere?* Hoc ergo meo illi longe gentium præferri volo. Sed paulo poſt hęc verba, cum quęrit ſeruus,

Num me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit?

videor agnoſcere imitationem Ennij, nam ille quoque in Pancratiaſte, modo titulus mẽdo vacet, ſimilem dialogiſmum inſtituiſſe videtur. e quo hic octonarius a Nonio adductus & conſeruatus eſt.

Quo nunc me ducis? N. Vbi molarum ſtrepitum audibis maximum.

Scęna, Sicine hoc fit.

Bene merendi mala es, male merenti bona es.
At malo cum tuo.

Magis placent Langianę membranę, *At malo tuo.* leue hoc in ſpeciem, ſed ad morem loquẽdi veterem cognoſcendum non leue. Ij enim cum minarentur aut ſignificarent, quod quis diceret aut faceret inpune non habiturum, malo id eius futurum aibant, & fere hac formula, *malo tuo.* Ennius Saturis. *Malo hercle ſuo magno conuiuat, ſine modo.* noſter Amphitruone. *Olet homo quidam, malo ſuo.* infra Scęna. *Quid hoc ſit negoci.*

LI. Malo hercle iam magno tuo nunc iſti ne recte dicis.
Inpure, nihili, non vides iraſci? LE. perge porro.
LI. Flagitium hominis: da obſecro argentum huic, ne male loquatur.
CH. Malum hercle vobis quæritis. LE. crura hercle diffringentur.

Age impudice, ni iſtum impudicum percies. L I. perij hercle,
Sceleſte non audes mihi ſceleſto ſubuenire.

locum adſcribſi verboſius, vt mendum inde inſigne tollerem. primum quod legitur, *nunc iſti ne recte dicis*, mss. pro *nunc* agnoſcũt *ni*. vere. & hoc indicio eſt dicere iſta Leonidam, neque Chlamydato, ſed Libano. idq. vel ex eo paret, quod eodem exemplo mox dicet, *Crura hercle diffringentur, ni iſtum impudicum percies.* nã hoc ordine hęc verba collocantur in Langianis. hoc quoque vere. Sed apponam verborũ correctionem, & collocationem perſonarum; melius eſt: tum locum explicabo.

CH. Nimis iracunde. non decet ſuperbum eſſe hominem ſeruum.
LE. Malo hercle iam magno tuo, ni iſti ne recte dicis.
LI. impure nihili, non vides iraſci? LE. perge porro.
LI. Flagitium hominis. LE. da obſecro argentum huic, ne male loquatur.
CH. Malum hercle vobis quæritis. LE. crura hercle diffringentur,
Ni iſtum inpudicum percies LI. perij hercle, age impudice,
Sceleſte, non audes mihi ſceleſto ſubuenire.

Cum Leonida magnifice a ſe reieciſſet Chlamydatum, & ille diceret, non decere ſuperbiam ſeruum: conuerſus ille ad Libanum, malum tibi, inquit, niſi in iſtum, Chlamydatum innuens, mala multa verba longeſſeris. cui alter paret ſane diligenter; & tamẽ inſtat,

vt pergat, hic; & qui ſperaret conuicijs aliquid profectum, numerari ſibi argẽtum iubet modeſtius: ita finem maledicentiæ fore. ſed ſtrennue Chlamydatus ſuſtinet hęc omnia: quod non fert contumax ſcurra Leonida, & quaſi parum feciſſet Libanus, inpudicitiam pręterea peregrino exprobrari iubet: quod cõuicium homini libero grauiſsimum: & adijcit, niſi ita faciat, vapulaturum; & ſimul ad verberandum geſtu ſe parat. quem metuens ſcilicet Libanus, auxilium ſe petere ab hoſpite ſimulat, aſperſis interim flagitiorum iſtis nominibus. Ita arbitror e libris hęc recte emaculari: quos magnam partem auctores cum haberem pręter meam cõſuetudinem liberior hîc fui. Sed vt reuertar ad priora, non nego etiam recte dici, *cum malo tuo*: verum mss. me ſequi malle confirmo. Loquitur enim etiã aliter Plautus. Rudente. *At malo cum magno ſuo hercle fecit. ite iſthinc foras.*

CAPVT. III.

Pellecebris, pernicijs. Pellices. Plautus e Nonio emẽdatus. Fragmentum huius fabulæ loco ſuo, ſi forte, repoſitum. aliud in ipſa comœdia publice legi oſtenſum.

MIRVM eſt, quanta in Nonio deformatio ſit eorũ exemplorũ, quę de Plauti depromſit. neque nego permulta ex ipſis fabulis prope nullo negocio poſſe redintegrari: ſed profe-

cto pluribus altius adacta vulnera, quam quę a vulgo curari poſsint. Cuiuſmodi, ni fallor, hoc eſt quod in Aſinaria repperiri ſcribit, *Pelle crebris pernicijs*. nam tale in Plauto nihil inuenias, quamuis diligenter rimeris omnia: ſed quod illi valde vicinum eſt, id ego vt deprehédi, ita iam indicabo. Nam Agyrippus adoleſcens in probris quę in lenam acerba multa congerit, hęc habet.

Ibo ego ad triſuiros, veſtraq. ibi nomina
Faxo erunt. capitis ego te perdam, & filiam.
Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium.

Vnde iam ſuſpicetur aliquis, reſcribendum eſſe in Nonio, *Percelebræ, pernicies*: verum ego contra e Nonio hęc emendanda contendo, & geminam poëtæ ſcripturam videri.

Pellecebris, pernicijs adoleſcentum exitium.

Primum literula vna, quæ in Nonio ſupererat, vides quam hæc contaminarit. viris quidem doctis tantam gramiam ob oculos obiecit, vt in fragmenta referrent voces tres, ſi dis placet, ex Aſinaria fugitiuas: quam ſuſpicionem me auctore deponere poſſunt. Deinde multo venuſtior & anguſtior ſentētia exit, nā meretricula ętati noſtræ exitium eſt duabus rebus potiſsimum, blandimentis ſermonum & exorabulis munerum: illa animum ſauciāt; hæc fortunas lancinant: illa capiunt, & captos retinent; hæc exhauriunt, & exhauſtos perdunt: *Pellecebræ*, igitur delenimenta ſunt meretricia blandidicis dictis & ſuauiludijs imperitos iuuenum animos irretientia: vnde ip-

ſæ meretrices *Pellices*. Ciſtellaria. *Pellices ſuas eſſe aiunt.* nam errant ſcientes prudentes grammatici veteres, qui pellicis ἔτυμον aliunde anquirunt. *pellicere* amatorium verbum nihil aliud eſt quam in amorem ſiue vt Feſtus ait in fraudem ſenſim perducere; ab eo pellices olim quidem alienos viros quę ad ſeſe pellicerent; poſtea omnia ſcorta dicta. *Pernicies* damna grauiora ſignificat, & quę exitium ſecum ferunt. vnde Plautus ſeruum nequam *perniciem herilem* alibi vocat. Ex eadem hac fabula Nonius adducit in Fama.

Quin etiā me miſerū famoſum flagitijs facit ſuis. qui verſus nihilo magis vſquam apparet. Dicam ſententiam meam timidius· neque enim hic tam clara veritas nobis alluxit, quam ſpero paullo ante. ſed tamen valde ſuſpicor Artemonę verba eſſe de marito ſuo in luſtris rē & famam ſuam proterente. itaque non incōmode potuerunt hæſiſſe quondam illis verſibus ſcæna Ain tu.

Ille opere foris faciundo laſſus noctu aduenit
Fundum alienum arat, incultū familiarem deſerit.
Is etiam corruptus porro ſuum corrumpit filium.
Quinetiam me miſerā famoſam facit flagitijs ſuis.

de quo tamen ſentiat quiſque quod lubet: dū fateatur idem alterum illud & in Nonio & in Plauto recte opera noſtra a fædiſsimis maculis purgatum.

CAPVT IV.

Modo quod. Quoque etiam Scena Vnum quodque iſtorum, *correcta pluries;*

SED procedamus ad lenæ & adoleſcentis velitationem bellam illã mehercule, & niſi de meo animo erro, haud paullo efficaciorem ad continendam adoleſcentiam noſtram, quam multæ & longæ philoſophorum ſcholæ. quo libentius ex ea menda compluria ſuſtuli & obſcuris lucem attuli: quæ hoc capite dabo.

Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modo quidem accepiſti, haud multo aliquid poſt quod poſcas paras.

Attende ſis animum diligentius, & ſenties ſub offendere iſtud poſterius poſitum, *quidem.* In membranis video eſſe. *Modo quod accepiſti.* ſi me audis, non male. Certe enim *quod* acceſsio ſermonis interdum eſt, præter vehementiam maiorem orationi nihil adferẽs. Amphitruone, *Malum quod tibi dij dabunt, atque ego hodie dabo.* Moſtellaria. *Malum quod iſti di deæq. omnes duint.* quem verſum Terentius Phormione totum exſcribſit, non imitatus eſt ſcæna, *Dis magnas merito.* Dixit ergo Plautus fortaſſe, *modo quod*; eadem forma qua M. Tullius, *tantum quod.* de quo multi monuerunt.

L E. *quid modiſt? ductando, amando nunquamne expleri potes?*

leuiter ſuſpicabar, *quid modiſt ductandi?* vt reſponderent hæc illis, *Qui modus dandi?* Nam amator dum ductandi ſcortum modum non facit, ne dandi quidem facere poteſt. neque

multo

multo aliter locutus eſt extrema hac fabula.

Quid modi pater amplexandi facies?

Inferius paullo.

Volt famulis, volt etiam ancillis, & quoque catulo meo.

Mss. *volt famulis, volt ancillis.* ſed ita verſus pede minuitur. non abeſt ergo, ſed alieno loco adeſt, *etiam*: quod veriſsime traijcio, *Volt famulis, volt ancillis, & quoque etiam catulo meo.* *Quoque etiam* purus putus, vt ſic dicam, Plautiſmus. Amphitruonis prologo. *Atque ego quoque etiam qui Iouis ſum filius.* Sequitur.

Nunc quia nihil habes maledictis ductare eam poſtulas

Sic vetuſtiſsimæ editiones. nam recentiores verſui ſe conſulere rati ſunt, cum mutarunt. ſed malim ego, *ductare meam poſtulas.* loquitur enim de filia, cui eadem mater & hera erat: & ad hoc noſtrum quam ſimile eſt illud Terentij Phormione: *Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis.* Poſtremo hoc verſu,

Habeo vnde iſtuc tibi quod poſcis dem, ſed in leges meas
Dabo, vti ſcire poſsis, perpetuum annum hunc mihi vti ſeruiat.

In mss. eſt, *ſed in leges eas.* probo. nam ſequitur, *vti ſcire poſsis.* Adijciam illud, vltimo verſu.

Nam ſi mutuas non potero, certũ eſt ſumam fenore

Nonium legere diſerte, *Nam ſi mutuo.* & ita peruenuſte mutuum opponitur fenori.

CAPVT V.

Cuſtodes. Obſeruatio. Obſeruare, Seruare. Ad hoc exemplum. Ediſſertare. Erogitare. Taxis, tax. Scæna, Vbi ego nunc Libanum, emaculata. illuſtratus Cicero. Næuius apud Cariſium emaculatus.

QVOD in lena & amatore fecit poëti, vt vtriuſque ἤθη examuſsim expreſſa in ſcæna oſtenderet, idem accurate ſeruat, vt in pari illo improbo nequam ſeruorum audaciam, malitiam, aſtutiam ſeruilem politiſsimis verſibus tamquam penicillo effingat. in ijs nos dum ordine procedimus hæc ſublegimus.

Væ illi qui tam indiligenter obſeruauit ianuam. Verſus damnatus vitij conſenſu criticorum, qui certatim oggerunt, *obſerauit ianuam.* Defendo ego, & quia ſententiam non manifeſtiſsimam video explico. Cuſtodes ſeruitij pars erant, quod de multis auctorum locis conſtat. eorum munus, *obſeruatio*; & ipſi illi cum ædium cuſtodiæ diligenter & ex officio ſuo præſunt, *obſeruare* dicuntur, aut *ſeruare.* Milite. *Certum eſt nunc obſeruationi dare operam.* Ibidem. *Sed ego hoc quod ago id me agere oportet, hoc obſeruare oſtium.* Hinc obſeruari dicuntur, qui agere aut conari nihil ſine arbitris poſſunt. Andria Terentij. *Obſerues filium, Quid agat quid cum illo conſilij captet.* Ita intelligendus locus M. Tullij Philippica II. quem non cepit diligentiæ ſummæ & iudicij accurati vir H. Ferrarius. *Poſtea cuſtoditus ſum a te, tu a me obſeruatus*

in petitione quæſturæ. Ab Antonio cuſtoditum ſe ait, ſcilicet aduerſus Cæſaris potentiam ne quid Pompeio inſuſurraret; & illum viciſsim a ſe obſeruatum, ne tribuum ſuffragia pecunia emercaretur. Hoc innuit; etſi ἀμφιβολία ſermonis etiam alio ducat. nam & *cuſtodiuntur* ij, quorum ſalus nobis cordi, puta a pædagogo pueri; & *obſeruantur* amici magni a minoribus. Ferrarius & ab illo inductus Lambinus male huc intruſerunt, *cultus*. In eadem ſignificatione dixi vſurpari, *ſeruare*. docent exempla auctorum. Ciſtellaria. *Nunc tu amabo vt hanc triduum hoc ſolum ſinas eſſe, & hic ſeruare apud me.* Aulularia. *Redi nunc iam intro, atque intus ſerua. ST A. Quippini ego intus ſeruem? an ne quis ædis auferat?* Terentij Eunucho. *Solus Sannio ſeruat domi.* Plura nihil neceſſe eſt. ſunt enim in promtu. Sequitur in Aſinaria.

Non placet: pro monſtro extemplo eſt, quando is qui ſudat tremit.

Multo rectius mss. *pro monſtro exẽplum ſt:* neque id aliud quam ſi dixiſſet, monſtri ſimile eſt. nam exẽplum ἀντίτυπον, ὑπόδειγμα gloſſis veteribus, & hinc ea comicorum, *ad hoc exemplum: hoc exemplo.* Pſeudolo. *Quibus niſi ad hoc exemplum experior, non poteſt vſurpari vſura.* Scæna huic proxima. *Si iſthoc exemplo tu omnibus qui quærunt reſpondebis.* Sequitur.

Quo argumento iſthuc? LE. ego dicam quo argumento & quomodo.

Diuido vocem, *quo modo*. nam vtrumque pollicetur quo argumento id ita fiat, & præterea

quonam modo. Poſtea eſt.

Quin rem actutum ediſſeris? cupio malum nanciſcier,

Langiani, *ediſſeras.* Suſpicor excidiſſe, *ediſſertas.* Plauto familiare id verbum, & mora mera ſit exempla anquirere, quæ obuia paſsim. etiam verſu ſequenti,

Placide ergo vnumquidque rogita, vt acquieſcam.

Verius Langiani, *erogita.* neque aptius huic rei verbum lingua latina habet. Capteiuceis.

Interibi ego ex hac ſtatua verberea volo
Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.

nam quod hîc quoque mutat interpres, peccat largiter. Sequitur.

——dixit operam ſeſe promiſſam dare.

Promiſſam, filio ſcilicet: & hoc a ſe factum ſupra indicauit Demænetus. Ingenioſe tamen, &, prope dixerim, vere deſiderium meum Palmerius, *promiſcam.* Denique illic,

Hercle vero tu cauebis ne me attingas ſi ſapis,
Ne hodie malo cum auſpicio nomen commutaueris.

quis tam ſonoros, tam lenes verſus mendi ſuſpicere audeat? me tamen leuiter mouet Pij vetuſtiſsima editio, & nonnullę aliorum: in quibus eſt, *ne me attingas, ſi me faxis.* nam obſecro te, quiſquis es, non venuſtius ſcribetur?

Hercle v. t. cauebis, me attigas ſi me taxis,
Ne hodie malo cum auſpicio n. c.

vt *ne* adfirmet vti apud Græcos, ναὶ. nam qui illud ſine prouocabulo negant poni, falluntur. neque vis magna ſit verbis, vt exiſtimo. verum ſepe iam dico, quid ſuſpicer in mediũ adfero;

tu quod placuerit excipe : cetera aut ſomnia mea aut ludicra putato. A *taxis* autem, quód poſui, *tax* aduerbium fit : quo vſus Plautus Perſa. *erit tergo meo tax, tax.* etiam apud Cariſium Næuius Agitatoria. *Age nè te mihi aduerſari dicas, hunc vnum diem de meo ſequor ſine ego illos eſſe tax pax, poſtea Currentes ego illos vendam, niſi tu viceris.* quos verſus emaculatos trochaicorum in legem repono, & explico.

Age ne me tibi aduerſari dicas, hunc vnum diem.
De meo, ſequor, ſinam ego illos eſſe, tax pax, poſtea.
Currentes ego illos vendam, niſi tu pretio viceris.

Verba venalitiarij ſunt ad emtorem, qui prodi diem ſibi volebat. Sequor inquit, te & ſinā illos hodie comedere de meo. poſtea inter venales vapulabunt, & currentes venibunt, niſi tamen tu pretio antea illos exemeris. Poſſent hic multa attexi de more ſeruos currḗtes vendendi, & quam hîc neceſſaria formula, *precio vincere.* ſed in re clara nihil opus eſt λεπτολογεῖν.

CAPVT VI.

Noſtri. Familiares. Alieni. Aliquot ſcenæ ſequentes emendatæ.

SCÆNA, *Vt demonſtratæ*, omnes ſine ſuſpicione mendi legunt,

Propterea huc quia habebas iter, nolo ego fores conſeruas meas.
A te verberarier, ſane ego ſum amicus noſtris ædibus.

CL. Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere?

Langiani hic Philenij perſonam non interſerunt: id mihi ſuſpicionem iniecit, fortean verius ſcribi, *A. d. e. a. meis te præceptis quidem? Hoccine.* Tralatitius error in perturbatione harum vocum *quid eſt* & *quidem*: apparetq. ſane hæc omnia continuanda ſub perſona matris. *Quidem*, ita ſæpe traducit Plautus. Capteiueis, *Vin te fortunatum faciam? HE. malim quam miſerum quidem.*

CAP. VII.

Præter alios. Multa ad ſcænas huius fabulæ poſtremas cenſuræ.

VT in formoſo corpore omnis næuus inſignis & pulcritudini infutãdę eſt; ita in Plauto quoduis erratũ ſententię dehoneſtandæ. quid minutius illo, ſcæna *Cur me retentas?*

Ego complexum huius nil moror, meum autem hic aſpernatur.

tamen quia *hic* perperam editum eſt, non vt mss. legi volunt, *hæc*; ſententia omnis hactenus latuit. Sentit. n. hoc, complexum Leonidæ a ſe nihili pendi; ſuum autem Philenio faſtidio & odio fore. Eadem Scæna,

Nunc iſtanc tantiſper iube petere atque orare mecum.

In mss. *iubes*. Facio, *iubeſis*. & eſt ea ad ſententiam nõ multa, ad ornatum plurima acceſsio.

Scæna ſequenti.

Quod illa aut amicum ſuum aut patronum nominet.

Aut quod illa amicam ſuam aut ſororem prædicet,

Fores occluſæ omnibus ſient, niſi tibi,

Ab amica, opinor, aut ſorore periculum Diabolo non erat. nam meretrices tribadas non requirunt, quibus molitorum abunde domi eſt. Diſsentiunt etiam libri, in quibus reperiri video, *illa amicæ amatorem.* Lego, *amicæ ſuæ amatorem.* Solet iſtis ſubiculis inter ſe bene cõuenire, vnde captiones metuens Diabolus, ne amatorem amicæ dicat, quem riualem ſibi ob oculos adduxerit, diſerte marem hominem neminem in ædes intromitti ſciſcit. Illa quoque,

Vocet conuiuam neminem, illam tu voces.

ſincerius in mss. *neminem illa, tu voces.* Deinde,

Neque vllum verbum audeat perplexabile,

Ita antiquiſsime editi aut ſcripti. Recte, vt opinor: niſi mauis, *perplexabile audeat*; numerorum cauſſa, & oſtendit id verbum meretriculum metum, ne offendat amatorem: vt ſupra. *quod nolebam, ac vetueram de induſtria Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.* Scæna *Sequere hac,*

Cum ſuo ſibi gnato vna ad amicam de die
Potare, illam expilare iam. P A. ne me mone.

Mirum ni ſcribſit Plautus, *expilare clam.* Supra eadem in re dixit. *ſuppiles clam domi vxorem*

tuam. Scæna vltima.

At ſceleſta ego præter alias meum virum fui rata.

Conieceram, *præter alios:* probarunt ſententiã meam Langij membranæ. *Præter alios,* μάλιστα τῶν ἄλλων. Cicero Catone Maiore, *Qui & diutiſsime ſenex fuiſſet, & in ipſa ſenectute præter ceteros floruiſſet.* ſic edemus, omnes libros ſequuti. Mox ex iiſdem libris lege,

At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi
mortalem preci.

non vt vulgo, *mortales,*

CAPVT IIX.

Ab re, E re. Gerræ, Congerræ. Appuleius emaculatus. Aſinaria ſparſim illuſtrata, correcta.

PAVCA etiamnum ſuperant indicta mihi loco ſuo: ea cauſſa monebo de iis hoc paullo alieniore, ſi tamen aut locus vllus aut tempus alienum a profectu ſtudiorũ. Illud ſcæna *Vnum quodque,*

Si papillam pertractauit, haud id eſt ab re aucupis.

aliter accipio, quam vulgus interpretum. nam ii explicant, *haud id eſt ab re aucupis,* non eſt ſine fructu, ſine commodo & lucro aucupis. Ego vero diſſentio plane, quod dicitur, δὶς διὰ πασῶν. nam ſi quid ſentio, *haud id eſt ab re* ſignificat non eſt rei familiari aucupis damnoſum, non inminuit rem familiarem. nam ita latine id efferebãt, *ab re eſt.* noſter hic Capti-

uis. *Quiduis, dum ab re ne quid roges, faciam*. Terentij Adelphis. *At enim metuas, ne ab re ſint tamen Omiſſiores.* Illi reſpondet, & e regione repugnat, *e re*. Pſeudolo. *E re tua non eſt, vt ego emoriar.* ea formula corrupta eſt, vt opinor, apud Appuleium Mileſiarum. I, *At ego mire adfitto ex tempore abſurdo ioco, in alium ſermonem intentionem eius denuò deriuo*. Legerim, *At ego mi e re affitto ex tempore abſurdo ioco. E re*, quod mihi eſſet bonum atque commodum. Sed in Plauto ſequitur ibidem.

Remeato audacter, mercedem, vbi eris nactus, nunc abi.

In mss. eſt, *mercedem ſi eris nactus*. quod qui mutarunt, ne illi imperiti linguæ latinæ fuerunt. *Si* pro cum, poſtquam, ſimulatque, poni amat. Capteiueis. *Iam ego reuortar intro, ſi ex his quæ volo exquæſiuero.* Phormione Terentius, *Non ſi rediiſſet pater ei veniam daret.* Scæna, *Cur me retentas,*

——Videlicet Solon eſt,
Leges vt conſcribat, quibus ſe populus teneat, gerræ.
Qui ſeſe parère apparent huius legibus, profecto
Numquam frugi bonæ ſient, dies noctesq. potent.

Laborat interpunctione locus. Scribo, *quibus ſe populus teneat. gerræ Qui ſeſe*, neque enim hîc gerræ ſunt nugæ & afaniæ, vt Lambinus credit, ſed gerrones. Gloſſarium H. Stephani, Gerra, γ́δαμυνός. & ita veteres accepiſſe præter hunc locum probat ab hac compoſita vox, *congerræ*. Lucilius.

Tapullam rident legem congerræ Opimi.

qui verſus Plauti verbis illuſtrandis aptiſsimus eſt. nam ijſdem de legibus conuiuiorum agit hîc Plautus : quas ita ab Agyrippo ait remiſſe & prolixe ſcriptum iri, vt gerræ ſiue compotores qui ijs pārituri ſint noctes & dies ebrij ſint futuri.

Capvt IX.

Si, ſiue. Ni, niue in ſtipulationibus. locus mendoſiſsimus Ciceronis pro Cæcina emaculatus. Si pro ſiue. Terentius correctus.

POTERAM hic ſubſiſtere. nā quæ ad hanc fabulam habui, dixi omnia, ſed lubuit liberales inſtitores imitari, & vt illi legitimo ponderi mantiſam tamen adijciunt; ita Plautinis iſtis acceſsionem addere e M. Tullio, inſignem pro M. Cęcina locum: quem multi pro deplorato & depoſito prætererūt, ceteri etiam magis exulcerarunt. Verba Ciceronis hęc ſunt.

Ceteri tum ad iſtam hortationem decurrunt, cum ſe in cauſſa putant habêre æquum & bonum, quod defendant. ſi contrà verbis & litteris, & (vt dici ſolet) ſummo iure contenditur; ſolent eiuſmodi iniquitati boni & æqui nomen dignitatemq. opponere. tùm illud quod dicitur, ſi, veni, he irrident. tum verborum aucupia & litterarum tendiculas in inuidiam vocant. &c.

Sic omnes libri veteres, vt diligenter annotârunt viri clariſsimi & optimè de M. Tullio

meriti Fr. Hotomanus & P. Manutius. & quærit vterque in loco tã tenebricoſo correctione lucem; hic, SVMMO IVRE; ille VTI LINGVA NVNCVPASSIT, conijcit. Prius illud C. Curio: poſterius hoc D. Lambinus ita ſequutus eſt, vt libris M. Tullij inferret. Mihi quæ ſemel hęſit ſententia, eam certum eſt perſequi, & à vetere ſcriptura, quod poterit non diſcedere. quod autem eius veſtigium in his doctiſsimorum virorũ coniecturis? At ego ne littera quidẽ mutata lego. *tũ illud quod dicitur,* SIVE NIBE, *irrident.* tantùm admoneo NIBE pro NIVE ἀρχαϊκῶς fuiſſe perſcriptum: quod in Pandectis Florentinis perpetuum fuiſſe videmus omnes. Alluſit autem ad ſponſionum & ſtipulationum formulas, quas certis verbis cõcipiebãt, & fere ordiebãtur a SI, SIVE. NI, NIVE. Plautus Rudẽte

——— ergo dato.
De ſenatu Cyrenenſi quemuis opulentum arbitrũ,
Si tuas eſſe oportet, niue eas eſſe oportet liberas.

& clarius etiam idem Pſeudolo.

BA. roga me viginti minas
Si ille hodie illa ſit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie, vt promiſit, dabit;
Rogato hercle obſecro geſtio promittere,
Omnibus modis rem vt eſſe tibi ſaluam ſcias.
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SI. Nullum periculum eſt, quod ſciam ſtipularier.
Vt concepiſti verba, viginti minas
Dabin? BA. dabuntur.

Ecce, *vt concepiſti verba*, ait quia videlicet ſo-

lemnia ſtipulationum verba recte conceperat Ballio, quæ qui perperam adhibuerat, actione olim cadebat: quod Leo Imp. poſtea ſuſtulit. Hanc igitur formularum & verborum relligionem irridebant, qui ius à verbis ad æquitatem reuocabant. Ab hiſdem formulis in communem vſum loquendi receptum, vt SI interdum poneretur pro SIVE. Ennius.

Si vivimu' ſiue morimur. Plautus,

Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera.

etiam Terentius Andria, ſi vera eſt diuinatio mea.

Ad hac mala hoc mi accedit etiam. hac Andria
Si iſta vxor, ſiue amica eſt, grauida è Pamphilo eſt.

Omnes libri & editi & ſcripti, *Siue iſta vxor.* quomodo verſus claudicat; cui alij aliter medicinam adhibuerunt: ego inſtituto meo minimùm aberrans a libris.

IANI GVLIELMII,

IN PLAVTI AVLVLARIAM QVÆSTIONES.

I. G. IACOBO CVIACIO I C. S.

ITA grata mihi nuper acceptaq. accidit, I. Cuiaci, in ſumma grauitate ſumma comitas tua, vt poſt vnum alterumve inter nos habitum ſermonem omnia mihi de bonitate tua pollicerer. Et noui te, V. C. non me fallet perſuaſio animi de te mei. nam neque famam tu tuam, aut naturam fallis. Sed tamen male nos ſæpe multa docet facilitas veſtra. etenim tamquam parum fuerit, patuiſſe mihi colloquia tua, & non intercluſam fuiſſe exoptatiſsimam amicitiam, ecce nouam aliam benignitate partam tibi moleſtiam. Aulularia Plauti multis locis emēdaui, illuſtraui; tentaui quidem vtrumque certe. ea ἀμφισβητήματα iudicio tuo potiſsimum permittere volui, & ſperare auſus ſum probari poſſe ex ijs pleraque tibi; nō ſuo merito, ſed amore in me tuo: qui præſertim illa πιθανὰ noſtra, quæ adoleſcentulo iamdudum exciderunt, tibi probare

potuiſſet. Hæc ſpes mea proceſſerit, an feſellerit, quod commodo tuo fiat, à te exſpecto. Mihi crede, V.C. non laude & teſtimonio magis tuo lætabor; quam lima & correctione gaudebo. illud iucundius fortaſsis; hæc grauiora ac reabſe veriora erunt. mihi vero vt aſſenſione tua ornari, pręclarum videbitur; ita cenſione corrigi perhonorificum, ab eo, cuius non in iure ciuili tantum, ſed in omnibus laudandis artibus acerrimum limatiſsimumq. iudicium omnes boni ac docti miramur & veremur.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI AVLVLARIAM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Antiqua vocum anaſtrophe indicata. Adquo. Non enim. Aulularia emendatur, illuſtratur. item Terentius, & apud Nonium Afranius: Fragmentum Plauti repoſitum ſuo loco.

NON incommode hoc editur prologo Aululariæ,

Cœpi obſeruare ecquid maiorem filius
Mihi honorem haberet.

quia tamen membranæ conſtanter habent *qui* non *ecquid*, credo rectius ſcribi, *ecqui.* ſequitur enim inferius paullo, *ea mihi cotidie Aut vino, aut ture, aut aliqui ſemper ſupplicat.* puſillum hoc, fateor; ſed meas ad aures etiam perpuſilla elegantia iucunda & ſuauis accidit. Verſu vltimo eiuſdem prologi.

Credo aurum inſpicere volt, ne ſurreptum ſiet.

polita hæc quoque, ſed paucis animaduerſa tametſi vbique occurrat, anaſtrophe. *ne ſurreptum* dixit pro *ſurreptum ne.* Capteiueis.

Ego ibo ad fratrem, ad alios capteiuos meos
Viſam, ne hac nocte quippiam turbauerint.

pro, *turbauerint ne.* & parum conſiderate vir doctus illud mutauit Pſeudolo.

Sed nimis ſum ſtultus, nimium fui indoctus. ne illi

audeant.

Id facere?

nam eadem figura dictum, pro *illinc*: quod tamen huc inculcari non debuit. vt neque illa mutari Andria Terentij.

ô Chreme, per tempus aduenis.

Auſculta. CH. audiui iam omnia. DA. ah; ne tu omnia?

Sic enim diſertim Donatus, & eadem metatheſi *ne tu omnia* ponitur pro *tu ne omnia?* Exempla quamuis plurima adduci poſſent: ſed operæpretium non eſt. nihil enim hac immutatione vſitatius. Itaque ille etiam ſcænæ primæ verſus ex membranis ita ſcribendus eſt.

Nam qua me nunc cauſſa extruſiſti ex ædibus?

& exſtat eadē forma ſermonis cum alibi, tum apud Terentium, *Nam qua hæc eſt anus?* Vides vulgarius fuiſſe. *quanam cauſſa, quanam anus.* Sic Afranius extulit *adquo*, quod nos vſitatius *quoad*. non enim ea vox noua eſt, vt Nonius putauit, ſed inuerſione nouata. doceat quod dico exempla quæ laudat.

Vt ſcire poſſis, adquo te expediat loqui.

Dixiſſet e nobis aliquis; vt noris, quoad tibi loquendum ſit. neque in alia cauſſa eſt alterum ex eodem poëta.

Ni tantum amarem talem tam merito patrem
Iratus eſſem, adquo liceret.

Sic corrigo, littera quam librarij perperam iterarant extrita. dicit honeſtiſsimus adoleſcens, ſe niſi tam benignum patrem nimiopere amaret, iraſciturum illi fuiſſe, & iræ tamen tempe-

ramentum adhibiturum. Sed ad Aululariam reuertamur, & eius ſcænam primam : in qua non bene interpungitur hic verſus.

Illuc regredere ab hoſtio,illuc ſis vide, vt
Incedit.

cum deberet potius hoc modo,

Illuc regredere ab oſtio,illuc. ſis vide,vt
Incedit.

nam quo eam retro abire velit iteratione aduerbij magis ſignificat:& ea ſentẽtia geſtu adiuuãda eſt,vt plurimæ comicorum. *ſis vide*, ea inuerſione de qua modo verba fecimus poſitum pro *videſis*. Poſt illos verſus eiuſdẽ ſcenæ,

Nunc ibo vt viſam,eſtne ita aurum vt condidi,
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.

vide ne quid deſit. non eo dico,quod ſententĩa non omnibus ſuis partibus cõſtare poſsit, vt nihil adiungas aliud:ſed quia verſus a Nonio ex hac fabula laudatur , qui hodie nullus legitur,huic tamẽ loco mire cõuenit.is eſt hic.

Nec noctu nec diu quietus vmquam eam,nunc dormiam,

Nam paullula mutatione apte certe cohærebunt omnia, ſi ſcribſeris.

Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis,
Ne noctu,nec diu quietus vmquã eam, nec dormiã.

Verum hoc ſuſpicari me leuiter tantum profiteor. nam affirmare rem tam dubiam quis auſit? Sequitur.

Nec nunc mecaſtor,quid ego hero dicam meo
Malæ rei eueniſſe, quamue inſaniam,
Queo comminiſci.

Membranę, *Non enim ecaſtor.* melius. belle enim ordiuntur ſermonem Non enim, Nunc enim, Vt enim, ſimilia.

CAPVT II.

Adire in ius. Mentio, Repromiſſio in Sponſalibus. eorũ definitio in Pandectis explicata, & a corruptela defenſa. Quî. Cæſaris locus correctus, & Aulularia ſæpius.

NEQVE mendoſum eſt neque obſcurum, quod legimus ſcena, Præſagibat mi animus.

nunc hic eam rem volt, ſcio,
Mecum adire ad pactionem.

ſed noto veterum more dictum, *adire ad pactionem.* nam ij præpoſitiones, quas vocant, iterare in ornatu ponebant. tale eſt illud in noſtris libris, *adire ad Prætorem.* quæ formula in commentarijs Cæſaris hactenus in mẽdo iacet, libri primi de bello ciuili extremis verbis. *Quaſcumque poſtea cõtrouerſias inter ſe milites habuerant, ſua ſponte ad Cæſarem introduxerunt.* ſic vulgarij libri: ſcripti aliter habent, *ad Cæſarem intus adierunt.* quod teſtatur politi & elegantis ingenij homo Fuluius Vrſinus; & adijcit idem ille, fortaſſe ita melius eſſe. vere melius, non quò ita legi debeat, ſed quod inde veritas facilius alluxerit; quam certe eruit diuinatio mea. nam ſcribo, *ad Cæſarem in ius adierunt.* neque neceſſe puto, in re clarâ περισσολογεῖν. Sequitur in Plauto.

Credo ædepol,vbi mentionem ego fecero de filia
Mihi vt deſpondeat,derideri ſeſe a me rebitur.

De ſponſalibus futuris loquitur. ideo aptis ſane & illi rei appoſitis verbis vtitur, *vbi mentionem fecero.* nam qui poſcit, mentionem facere dicitur; qui reſpondet, repromittere ſiue tantum,promittere; vt hîc paullo inferius,*promitte hoc fore.* Itaque ſtipulatus huius vxorij duę partes,mẽtio & repromiſsio. quas ea cauſſa in Spõſalium definitione ambas ponit ingenioſe & perite,vt ſolet, Florentinus I C. *Sponſalia,* inquit,*ſunt mentio & repromiſsio nuptiarum futurarum.* nam peccat iuris ſcientiſsimus Hotomanus, cum hæc ſuſpicione peruertit. *Mentio,* appellatio eſt, &,vt Cæcilij verbo paullo duriore vtar,verbificatio. *meminiſſe,* loqui interdum , & , quod ab fonte defluxit,memorare. Appuleius Mileſiorum v I I. *Recens nupta gratias ſummas apud ſuos parentes ac maritum mihi meminiſſe non deſtitit. quoad ſummos illi honores promitterent habitu iri mihi.* Porro eſt.

auſculta mihi,
Atque eam deſponde mihi. E V. at nihil eſt dotis,
quod dem. M E. ne duis.

Reppererunt in ſuis mss.viri docti, *nihil eſt dotis,quî dem.* quod illi pro reijculo neglexerunt, ego amplexor,vt probum & valde Plautinum. Quî enim huic noſtro πηλικὸν αἴτιον deſignat,& valet hoc loco *quî dem*, vt dare poſsim, & eam tibi collocare.nam dos ea fini eſt,vt ea collocentur filiæ. ſic infra eſt in præclara illa mimeſi ſumtuoſarum matronarum,

Enim mihi æquum eſt purpurã atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pediſequas,
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.

hoc eſt, vt vehar. nam viri docti fruſtra mutant; vt ijdem ſine cauſſa æſtuant Capteiueis.

Itidem hæc mi aduenienti vpupa, quî me delectet, data eſt.

Ait, *quî me delectet,* ἵνα παίζοιμι ἐκείνῃ. etiam Aſinaria plerique libri habent,

Quid ego aliud exoptem amplius, niſi illud cuius inopiaſt,
Viginti argenti commodas minas, huius quî dem matri.

quos ſequendos cenſeo. tametſi parum interſit, ita ſcribas an vt editur, *quas dem*, Plautus tamen illo modo loqui haud dubio malit. Verum ille locus Aululariæ, quem emendare cœpimus, etiam aliud eſt beneficium quo a nobis augebitur. nam quod Megadorus reſpondet, *ne duis*. in mss, vna voce plus eſt, *ne duis, ne*: ita honeſte, vt hac tam bella iteratione tota ſcęna mihi colluſtrari videatur.

Caput III.

Arte habere. Miſere, bene viuere. Deripere. Deplorabundus. Aulularia multoties correcta.

SÆPE in Plauto ordo verborum mutauit, nõ raro etiam verſuum; vtrumque aliquammultis locis indicauimus. poſterioris exemplum, ni fallor, eſt ſcæna Poſt-

quam obſonauit herus.

Pumex non æque eſt aridus atque hic eſt ſenex.
Coc. Ain tadem ita eſſe, vt dicis? STR. *tute exiſtima.*
Suam rem periiſſe, ſeque eradicarier,
Quin diuum atque hominũ clamat continuo fidẽ,
De ſuo ligillo fumus ſi qua exit foras.

Clarior profecto ſententia erit, ſi verſum tertiũ collocaris quarto ordine, & ſic ſcribſeris.

Quin diuûm atque hominum clamat cõtinuo fidẽ,
Suam rem periiſſe, ſeq. eradicarier,
De ſuo ligillo fumus ſi qua exit foras.

Teſtari eum ait deos & homines, ad incitas ſe redigi, & rem ſuam peſſumdari, quia fumus ſibi depereat. Eſt ea tota ſeruulorum ſermocinatio plena vrbaniſsimi ioci; ſed nubecula quadam, vt mihi videtur, obuoluta eſt & obducta ſententia huius verſus.

Cenſen' vero adeo eſſe parcum & miſere videre?

nam odioſe ſane iteratur hic *parcum*, & frigide rogat cenſeatne ita parcum eſſe, de quo dixit modo:

Edepol mortalem parce parcum prædicas.

huc accedit, quod ſenarius parum ſanus ſit, niſi amphimacrũ admittas: quod mihi nõ placet. Fuit cum corrigerem *Cenſen vero adeo eſſe arctum*. Homines arti, attenti & reſtricti in re familiari; quibus opponuntur diſſoluti. hinc; artè habere Aſinaria. *Mater illum artè contenteq. habet.* nunc impenſe probat ſe mihi ſecunda coniectura mea.

Cenſen vero adeo eſſe parnm, & miſere viuere?

An tu, inquit, etiam cenſes eum parum edere (nam hoc hic valere arbitror, *eſſe*) & genium ſuum defrudare? & mehercule conuenit admodum; vt qui auidiſsimam parſimoniam ſenis audiſſet in fumo, aqua, præſegminibus, idem ſciſcitetur quas cœnas eſitet, & qua in victu ſit miſeria: cuius rei inſigne exemplū ſubijcit alter, in pulmento. *Miſere viuere*, eſt victu arido vitam colere: contra *bene viuere*, laute & delicate ætatulam curare. M. Tullius II. de finibus, de elegantiæ & lautitiæ exquiſitæ lurconibus. *Hos ego, ait, aſotos bene quidē viuere, at beate numquam dixerim.* Plautus vtrumque coniunxit Moſtellaria,

Me victitare pulcre, te miſeris modis.

Sequitur in Aulularia ſtatim,

Pulmentum pridem eidem eripuit miluius,
Homo ad pretorem plorabundus deuenit:
Inſit ibi poſtulare, plorans, eiulans,
Vti ſibi liceret miluium vadarier.

in Langianis, *ei eripuit*. arbitror paullo remoſitius verbum eam varietatem in libros inuexiſſe, & fuiſſe olim, *ei deripuit*. Gloſſæ veteres, Deripit ὑφαρπάζει. Deripere, ἀφαρπάσαι. vſitauit ſub finē huius fabulæ iterum. *Luce claclaro deripiamus aurum matronis palam*. Secundo verſu Nonius plane docet ſua ætate libros habuiſſe, *deplorabundus venit*, & ſic melius eſt. Venire ad prętorem, & deploratum calamitatem aut iniuriam ſuam venire, ſæpe legimus. & aliter ſi ſcribas, gratiam non habeat verſu ſequenti; *plorans, eiulans*.

CAPVT IV.

Sine gratia eſt. O dij! Hoc propius. Plautus varie emendatus, & aliquantis locis de lingua Latina M. Varro.

AVT ego nihil intelligo, aut ſententia nulla, idonea quæ ſit, ſubeſt illis verbis ſcæna Tace nunc iam.

ST. *Stultus & ſine gratia es.*
Tibi recte facere, quando quod facias perit?

nam interpres vaticinatur ille quidem, ſed non e cortina. Ego maneo in ſententia, quæ puero fuit, leuiter hæc immutanda, *Stultu's, & ſine gratia eſt*
Tibi recte facere, quando quod facias perit,

Stultus es, inquit coco Strobilus, & fruſtra eſt beneficium in te conferre, qui id neque intelligas, neque referre ſcias. *Sine gratia* vno verbo eſt ingratijs, nequiquam, fruſtra. Cui autem facto gratia non refertur, id fruſtra fit. contra hoc Ciſtellaria dicitur. *Volo illius eſſe iſthanc gratiam.* Hoc verum arbitror, quamquã ſententia γενικωτέρα ſit futura & aliquanto illuſtrior, ſi ſcribemus. *ſine gratia eſt. Ibi recte facere, quando quod facias perit.* quod poſterius in mentẽ mihi venit, &, vt dicã quod res eſt, valde arridet. Apparet librariorũ error vulgatiſſimus, in litteris a fine verbi ad caput ſequẽtis transferendis: cui vicinus alter, cum litteram omittunt, ob eandẽ antecedentẽ. is nocuit pulcerrimo loco M. Varronis, libro de lin-

gua Latina IV. *Aſia, inquit, dicta ab Nympha, ex qua & Iapeto trahitur Prometheus. Europa ab Europa Agenoris filia, quã ex Phœnicia Manilius ſcribit aurum exportaſſe, quorum egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit.* quę illa Agenoris filia, quæ aurum ex Phœnicia exportarit, de qua nullis in libris quicquam, cum hinc diſceſsimus, aut ſcriptum aut dictũ repperimus? Scilicet corrigendum eſſe, *quam ex Phœnicia Manilius ſcribit taurum exportaſſe*, Iouis in taurũ tráſfigurati furtum & φόρον videlicet Manilius deſcribſerit, & Pythagoras ex ære expreſſerit. Contra ijdem iſti cenſuales non raro peccant litteris adeoq. totis ſyllabis perperam calamo repetendis. quo de genere hoc eſt eiuſdem Varronis primore VI libro. *Licet multum legeris* (ſic recte Vertranius) *C. Ælij hominis in primo in littereis latineis excercitati interpretationẽ carminum Saliorum, videbis & exili littera expeditam & præterita multa.* nam correxerim, *& exiliter expeditam*. maxime cum alibi dicat in eadem re. *De quibus duabus rebus in heis libreis promiſcue dicam, ſed exilius de poſteriore.* Paullo poſt M. Varro cum dixiſſet, gratiam ei habendam, qui cum omnia expedire non poſſet, eo tamen proceſsit, quo valuit ingenio progredi, adijcit; *Quem imitari poſſumus, vt ipſe liber erit indicio*: nullo ſenſu, aut eo perobſcuro certe. at quam omnia perſpicua erunt, ſi nos recte coniecimus! *Quem imitati nos ſumus.* Sed ad comicum noſtrum, vnde neſcio quomodo delapſa alio oratio eſt, reuertamur. Scæna Vo-

lui animum tandem.

Aulam maiorem, ſi potes, viciniam
Pete; hæc eſt parua, capere non quit. E V. *hei mihi,*
Perij hercle, aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirũ occidor, niſi ego intro huc propero currere.

Verſu tertio editio vetuſtiſsima Brixienſis, *Perii hodie, aurum rapiur.* ea mihi Mercurius fuit, & in ſemitam rectam tanquam digito intento induxit. quam enim probabile ſcribſiſſe Plautum?

Perij, ô diei! aurum rapitur. aula quæritur.

Diei antique ſcribebant, vt *populei, virei*; quod nos *dij, populi, viri.* quam ſcribendi rationem etiam hodie multæ membranæ Ciceronianæ quas comparaui præferũt. Is archaiſmus loco corrũpẽdo fuit. Et ſeruit illa exclamatio ſummo dolori. Petronius Arbiter. *Quid ille alter, ô dij! qui tanquam togæ virilis ſtolam ſumſit, qui ne vir eſſet, a matre perſuaſus eſt.* nam vere ita correxit ſummus ac ſingularis vir Iuſtus Lipſius. Verſu quarto Langij membranæ habent, *niſi ego intro propere propero currere.* quod verſus probat, quem ſenarijs iambicis ſeptenarium trochaicum admiſcuit, vt properationem ſenis carmine ipſo cõcitatiore exprimeret. tum ſimile hoc ſupra poſitum, *Nunc domum properare propero.* & Curculione. *Nunc niſi tu mihi propere properas dare iam triginta minas.* Addam etiã nunc vnũ, quod legitur ſcęna Redi quo fugis.

Si ad ianuam huc acceſſeris, niſi iuſſero propius,
Ego te faciam miſerrimus mortalium vti ſis.

Malim ſcribere, *hoc,* & ſcribitur fere in Plauti-

tinis libris promiſcue *hoc* & *huc*. nam δεικτικῶς dictum a ſene cenſeo, *hoc propius*: vt Moſtellaria. *Abeamus hinc nos.* TR. *non hoc longe Delphium.* Etiam anui hoc modo comminatur in eadem hac fabula idem ſenex, *ſi hercle tu ex iſthoc loco*

Digitum trauerſum aut vnguem latum exceſſeris.

Caput V.

Fragmentum Aulularia oſtenſum vnde exciderit. Meo animo. Lectio vetus defenſa. Indicandi modus pro quouis alio.

AVDAX facinus eſt, fruſta, quę ex his comœdijs a grãmaticis decerpta in libris ijs qui hodię exſtãt nulla cõparent, velle reprehẽdere, & quibus adhęſerint olim partibus demõſtrarę conari, audax. addo, calumniatorum, quibus nunc omnia plena, reprehenſioni cũprimis obnoxium. Quia tamen confidentiam iam ante aſſumſi, lubet vlterius periclitari vulgo quod dicitur, audaces a fortuna iuuari, veriuerbio dicatur an inani prouerbio. Igitur Nonius teſtis eſt, hac fabula poëtam ſcribſiſſe,

Pro illis crocotis, ſtrophiis, ſumtu vxorio.

Fruſtra erit, qui in noſtris editionibus eum verſum quæret. me ſi quis rogabit, vbi poſitus fuiſſe videatur, dubitare me dicã: illud quidẽ nõ hæſitanter affirmabo, aut nuſquã illi locũ

fuiſſe, aut in ſcæna *Narrani amicis*: & poſt hos verſus potiſsimum,

Vbi diſputata eſt ratio cum argentario,
Etiam ipſus vltro debet argentario, adijcio,
Pro illis crocotis, ſtrophijs, ſumtu vxorio.
Spes prorogatur militi in alium diem.

nam etiam ſecundum quod eiecerunt correctores, argumento eſſe debet, potuiſſe eadem audacia hinc vel tertium exturbari. qui quidē ſecundus tantum abeſt vt Plauti non ſit, vt eū Cicero pæne totum expreſſerit: quod ſuo loco monebimus. Sententia perſpicue hac acceſſione iuuatur. ait n. poſt abſolutos nugiuendos iſtos & mundi muliebris inſtructores, tádem vt ſua quoque nomina militi expediat, adire trapezitam: at ratione ducta, etiam vltro æs alienum apud eum ſuū repperire, quod cōflarint nomina ex ſoluta pro crocotijs, ſtrophijs, ceteris vxoris ſuæ ornamentis. ideo neceſſario militi diem differri, cum illis repræſentatá ſit. Quid ſuſpicer, dixi: ſi probo, hoc volebam: ſin, nemini opinor ſuſpicio fraudi fuit, dum ea neque adulteraret, neque vt oraculo Apollinis triumpharet. Scæna ſequente,

Tamen, e meo quidē animo, aliquanto rectius facias,
Si nitidior fies in filiæ nuptijs.

corrigendum, *meo quidem animo*, e Langianis. neque ſolēt præpoſitione hic vti Latini, Supra *Nam meo quidem animo, ſi idē faciāt ceteri*. Eadem ſcena illic,

Quæ mi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,
Corinthienſem fontem Pirenen poteſt.

Nō opus fuerat mutare, *ſcatat*, vt Lābinus; aut, *ſcatit*, vt Turnebus. indicādi modus pro quovis alio ſæpe ponitur. ſupra, *Nimis hercle inuitus abeo, ſi quid agam ſcio.* non libenter, inquit, domo exeo, ſi ſciam qua ratione fieri poſſit, vt domi maneam: nunc ita res nata eſt; exeundum eſt. quam ſententiam non cepit interpres. & ſcæna prima. *Ne perſentiſcat, aurū vbi eſt abſconditum.*

CAPVT VI.

Lauationes veterum, antequam rem diuinam facerēt. In ea re emendati Ennius & Varro. Aſpectare. Immemor, Memor. Concludi. Factum atque tranſactum. Impedire, Expedire. Andria Terentij, præter Plauti multa emendata.

EADEM ſcæna cum Megadorus ait, *Ego niſi quid me vis eo lauatum vt ſacruficem.* nota morem antiquum ante rem diuinam ſe abluendi. de quo etiam Euclio ſcæna poſt hanc altera. *Nunc lauabo, vt rem diuinam faciam, ne affinem morer.* & fiebant eæ lauationes fere in viuo flumine. patet id ex locis ſcriptorum ſexcentis, maxime Liuio in Seruio Tullio. Ennius Creſphonte, vt Nonius in Nitidare adducit. *O pie eam ſecum aduocant, eum ad fontem, nitidant corpora.* Legerim, *Pie deam ſecum aduocant, eunt a. f.* Neque aliud cenſeo ſignificare Varronem Serrano, apud eumdem Nonium in Eliminare. *Occipitium ariuodeo oſtendo, ex oraculo elimino me.* Diſpeſco ſyllabas male coali-

tas, *a riuo deo.* ait, ni fallor, ſe riuo ablutum deo ſe ſtitiſſe, tum oraculo audito templo egreſſum eſſe. Scæna Picos diuitijs.

Multoq. prius me collocaui in arborem,
Inde exſpectabam vbi aurum abſtrudebat ſenex.

Verius mss. *Indeq: aſpectabam.* *Aſpectare* pro deſpicere, vel potius e lōginquo videre. ita Virgilius Iouem facit deos vocare

Sideream in ſedem, terras unde arduus omnes,
Caſtraq. Dardanidum aſpectat, populoſq. Latinos.

Æneidos x i. ſed ſequitur in Plauto.

Vbi ille abijt, ego me deorſum duco de arbore.
Effodio aulam auri plenam, inde ex eo loco
Video recipere ſe ſenem, ille me non videt.

Locus illuſtris, ſed quod fidenter affirmo, hactenus nemini intellectus. Scribo,

Effodio aulam auri plenam. inde exeo. eloco
Video recipere ſe ſenem.

narrat geſtiens lætitia ſeruus omnem rei geſtę ordinem ſpectatoribus. vt ipſe in lucum Syluani præcucurrerit, & in arborem aſcenderit. inde, inquit, deſpectabam aurum occultantem ſenem. quo facto, abijt ille; ego me de arbore proripio, & aurum bene conditum eruo, & cū hoc luco exeo: & ecce ilicet video ſenem ſe recipere in eundem lucum. itaque me de via declino paullulum, ne videar. Hæc ſententia eſt; cui apte cohærent ſequentia. nam ſenex qui in lucum ſe receperat auro amiſſo dolore animi ardens ſtatim ſeruo ſuperuenit, & tantum non tragœdias excitat. *Eloco,* illico eſſe in Veriſimilibus ſatis planum fecimus.

quod ignoratum hunc locum corrupit, & ſimul quia male diſsiluerant ſyllabæ, *ex eo*, quæ coniungendæ erant. Contra eædem perperam compoſitæ ſæpe diſpellendæ ſunt. qua in re meo animo leuiter cõtaminatus locus Andria Terentij, ſcæna *Ita pol.*

—— non ſat commode
Diuiſa ſunt temporibus tibi Daue hæc. D. mihin'
SI. Num immemor es diſcipuli?

nam perſpicue rectum erat, *immemores diſcipuli.* de quo etiam Donatus nos admonet. Diſcipulos Daui facete vocat Myſidem & Lesbiam; quas ſuſpicatur parum dextre eius mandata exſequi; hoc eſt, immemores mãdatorum magiſtri ſui eſſe. Nam immemor interdum indocilem & hebetem ſignificat. Plautus Perſa. *Satis fuit indoctæ, immemori, inſipienti dicere toties.* Contra memor, docilem & dicto audientem illi, vnde profeceris. Propertius.

Tu ſatius memorem muſis imitare Philetam,
Et non inflati ſomnia Callimachi.

Sed quid vetat ex eadem Andria, etiam alia huc conijcere, quæ pulcerrimo corpori nævos aliquot extergeant? Illo verſu ſcæna, *Quid ais Birrhia.*

———— quanto ſatius eſt
Te id dare operam, qui iſtum amorem ex animo dimoueas tuo.

tres mss. quos vſus ſum, *ex animo amoueas tuo.* & ineſt difficultatis ſignificatio in verbo, *amouere.* Scæna proxima.

Paullulum obſoni, ipſus triſtis, de improuiſo nuptiæ

Non cohærent. P. Quorſum nam iſthuc? D. egomet
continuo ad Chremem.
Cum illo aduenio.

Iidem libri. *ego me continuo ad Chremem.* Loquutus ita idem Dauus ſuperius. *At ego hinc me ad forum, vt conueniam Pamphilum.* & certe vulgata lectio ſubfrigida eſt. Scæna, *Dij boni.*

——— ex ea re quid fiat vide,
Vt ab illa excludar, huc concludar.

Veteres omnes, *hâc concludar,* & ita laudat Donatus: meas aures cum conſulo, venuſtius. *Concludere* venatorum verbum, eſt idem quod circum retire, indagine claudere. Alibi, *Tot me nunc rebus miſerum concludit pater.* & concluduntur, quibus exitus alicunde nullus patet. Caſina Plauti. *Concludēre in feneſtram firmiter.* Scæna, *Adhuc Archillis.*

Vel hoc quis nō credat, qui norit te, abs te eſſe ortum?
D A. quidnam id eſt?

Multo malim quod Donati tempore in libris fuit, *abs te eſſe natum.* In illis autem, ſcæna *Hoccine humanum*

Quot modis contemtus, ſpretus? facta tranſacta omnia. hem
Repudiatus repetor.

Nihil nouari placet. nam expreſsit etiam noſter Cicero, Inuectiuarum tertio. *Atque illud quod faciundum primum fuit, factum atque tranſactum eſt.* Et vt de hoc non dubito; nam libenter Terentij verbis loqui ſe ipſe teſtatur: ita timidius confirmo T. Liuium in mente habuiſſe verſus hos ſcæna *Vbi illic ſcelus eſt.*

-viden

—— viden me conſiliis tuis
Impeditum eſſe? D A. at iam expediam.

cum ſcriberet hiſtoriarum IIX. *Noſtrum exercitum, eadem quæ impedierat fortuna expediuit.* Similitudo quidem locorum indicata ingrata nulli erit.

CAPVT VII.

Multos annos eſt, cum colo. Si opera eſt. Limborarij. Macharia. Noui homines. Aulularia denuò percurſa, & in ea emendata, explicata multa.

LVBET etiam nunc ad aulam Plauti reuorti, vt aniculas ad armillum aiunt, & relliquiarum relliquias reguſtare. Scribitur prologo,

hanc domum
Iam multos annos eſt, cum poſſideo & colo.

mirè ad aures noſtras, ad grammaticorum autem etiam inſolenter. ſed habet hoc lingua latina, vt illorum magiſtrorum canonas interdum perrumpat, & liberiore campo excurrat. quod qui indigne ferunt exotici homines, male ſane de bonis ſcriptoribus merētur. ad hoc tamē exemplum illud etiam dictum eſt Perſā,

—— hic leno nondum ſex menſes Megaribus
Huc eſt cum commigrauit.

Itaque torſiſſe ſe hic fruſtra magna ingenia, nollem factum. Megadorus Euclioni mentionem facturus de filia ita præfatur.

Da mihi operam parumper, paucis Euclio eſt quod te volo

De communi re appellare mea & tua.

ita vulgarij omnes libri, verum Nonius etiam membranis quamuis magnæ vetuſtatis antiquior grammaticus diſerte legit, *Da mihi operam parumper, ſi opera eſt Euclio, id quod te volo.* Vt mea ſententia eſt, multo ſincerius, & idem ille percommode interpretatur, *ſi opera eſt*, ſi commodum eſt & potes. nam ſimiliter hoc Mercatore accipiendum eſt.

Amare occœpi forma eximia mulierem,
Sed ea vt ſim implicitus dicam, ſi opera eſt auribus.

Sed in ea mulierum inſectatione quam Megadorus luculentam inſtituit vulgatur,

Textores, limbolarij, arcularij.

in eodem Nonio paret, *limborarij*: quod neſcio quomodo magis arridet. vt a limbo & ora deductum vocabulum ſit. & ſane nihil aliud ſunt limborarij, quam qui limbo oras veſtium pingunt ſiue prætexunt. Aliquanto ſupra hunc locum coquus ad opus faciundum diſcipulos cohortatur.

Dromo deſquama piſces, tu Machærio
Congrum murænam exdorſua quantum poteſt.

Machærionem coqui nomen eſſe omnes putant: ego aliter cenſeo, machærio iubere exdorſuari murænam, & id cultelli coquinaris genus eſſe. Cultellos quidem μαχαίρια & μαχαιρίδια Græci vocant; vnde μαχαιροποιοῦ υἱὸν Æſchines Demoſthenem vocat, quem cultrario natum latini prodiderunt, noſter hic ſiculas machæria dixit Rudente

qui tris Duceret chlamydatos cum machærijs.

Senex Euclio aula ablata exanimatus & ridiculus ipſa trepidatione e ſpectatoribus vnum affatur,

Quid ais tu? tibi credere certum eſt. nam eſſe bonum
e voltu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis? noui omnes. ſcio fures eſſe hic
complures.

Mirum, ſi nouit ille omnes in cauea: ſin quid reconditi ioci eſt, fateor me ignorare. Itaque vt ſolemus imperitiæ mantellum in ſuſpicione quærere, opinor verius eſſe, *noui homines*. Ea formula eſt, cum ſignificamus nihil fieri pręter hominum morem, & præter ſolitum. Truculento. *Noui ego hominum mores. Ita nunc ſunt adoleſcentes morati.* in eadem re. nam illud paullo in diuerſiore eſt Menæchmis, huc facit tamen.

Saluus ſaluos alios video, noui homines, alloquor.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI CAPTEIVOS QVÆSTIONES.

I. G. IOSEPHO SCALIGERO Iul. Cæſaris F. S.

MVLTA in Galliam me illexerunt, Io. Scaliger: in multis maxime litterarum ſtudium, & hominum litteratorum amor; quibus vtriſque vna hodie Gallia veſtra ſic abundat, vt ceteram omnem Europam prouocet, ſane facile. Verum ita tu me ames, Scaliger, ita te omnes Muſæ, nihil vt potius aut prius fuit, quam tui videndi, ſalutandi, cognoſcendi, adiungendi mihi cupiditas. Quo mihi ægrius eſt, in media Gallia tamdiu carere me luce congreſſus tui: quem, quo propius abeſſe videor, eo vehementius atque impatientius deſidero. quod deſiderium meum ne te fugeret, indices has feci litteras, & quæ ijs ſubiunxi de noſtris litteris. non vt te docerem, qui hæc talia, & longe maiora alia, nos omnes cottidie doces, non: ſed vt auctoritate tua hæc noſtra, ſi eiuſmodi videbuntur, niterentur; & ſimul

eſſent teſtimonium quòddam mei in te amoris. tu, Scaliger, patere me ire veſtigijs tuis, & inſiſtere itineribus ijs, quæ tu patefeciſti; & ſic exiſtima, qui diuinos in omni genere ſtudiorum progreſſus tuos intelligát multo me melius, habere te plurimos; qui faueat ampliſsimæ laudi tuæ ſtudioſius, & iſtas neſcio quas hominum non nauci obſtrepêtium tibi quiſquilias aut rideat libentius, aut promtius cõtemnat, neminem.

IANI GVLIELMII IN CAPTEIVOS, QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Ibus. Indaudire. Exercitus, pro exercitio. Exercitum imperare. Capteiuorum perioche & prologus emẽdantur. indidem locus obſcurus illuſtratur. Varro apud Nonium correctus.

IN Capteiuorum acroſtichide Periochica eſt.

Et interibi emit olim amiſſum filium.

commode, & ſine ſuſpicione mendi. diſſentiunt tamen libri ſcripti: in quibus, *Et inibi emit.* Vnde fecerim, *Et in ibus emit.* Emit, inquit, capteiuos Alios multos; & in iis filium ſuum, quẽ puerum amiſerat. ea loquendi formula vſitata Plauto, & optimo cuique latinitatis auctori. vocabulum ſi paullo eſt vetuſtius, at omnia illa comœdiarum argumenta filo Plautino & pæne verbis contexta ſunt, & vtitur hic noſter cum alibi, tum Curculione. *Eodem hercle vos pono & paro pariſſum teſtis ibus.* Eadem vox reſtituenda, vt arbitror, Varroni Papiapæ, ἢ περὶ ἐγκωμίων, apud Nonium in Iuxta *Qui pateſt laus videri verſa, cum motus ſæpe furaces eſſemus, atque nequiſſimus ibis iuxta ac P. Africanus.*

nam emendauerim, *q. p. l. v. vera, cum motus ſæpe furati eſſemus, atque n. ibus iuxta ac P. Æ.* Loquitur ni fallor de plauſu theatrali, in quo negat poſſe laudem veram ineſſe, cum is populi mot⁹ furtim ſæpe ematur; & omnino plebeiorum ſtulticiæ peſsimus & optimus iuxta ſint. Verum hoc in medio relinquo: illud perſeuero pertinacius, Prologo non bene vulgari,

Et quoniam heri inde audiuit de ſummo loco
Summoq. genere captum etiam equitem Alium.

nam ijdē homines qui pro *Alium* nobis ſubſtituerant *alterum*, haud dubio ſcripſerant *inde audiuit*: omnia vt apte quadrarent. cum verum eſſet, & a poëta relictum, *indaudiuit*. inſertum ſyllabæ ſuſtinendæ D etiam Mercatore. *Rogito quis eam vexerit, quis habeat, quis indaudiuerit.* infra hac fabula,

Dum ne ob malefacta peream, parui id æſtimo.

id, neque libri habent, & ſententia repudiat. & non eſt dubium, quin Poëta reliquerit, *paruid æſtumo*. Deinde eſt,

Hic neque periurus leno eſt nec meretrix mala
Neque miles glorioſus. etiam ne vereamini.

etiam deeſt in Langianis. recte, & legendus verſus. *Neque miles glorioſus. neu vereamini.* nam aliter numeri innumeri ſint. Scæna, Aduorte animum

HEC. *huic illud dolet*
Quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.
Nullum ne interea nactus, qui poſſet tibi
Remiſſum quem dixi] imperare exercitum?

Locus egregius, ſi quis in Plauto alius, verū

ſubobſcurus, &, interpretes cum cogito, non intellectus ſatis hacten⁹. ego ſic capio, Hegio cum videret afflictantem ſe paraſitum, primū affectum illum humanitatis putabat: deinde in rectam ſemitam cogitatione reductus, ſcilicet illud erat, inquit, quod hunc animi excruciat, quia edēdi exercitus remiſſus eſt: hoc eſt, vt explico, quoniam cænationes & prandia, quæ exercitij vicem paraſitis ſunt, filio hinc abſente, conquieſcunt. Exercitus. n. haud dubio exercitiū ſignificat verſu primo. vt & Rudente,

Pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico hoc habemus.

& Cicero exercitum bellicum dictū ait; quia exercitia laborum in eo maxima. hac vocabuli πολυσημασία ludens Hegio & conuerſus ad Paraſitum, quaſi de copijs militaribus loquutus eſſet; tibi vero, inquit, nemo eſt, qui imperet exercitum, quē remiſſum tibi paullo ante dixi. Solebant ſcilicet imperatores & procōſules prouincialibus imperare milites; quos ἀυξητικῶς vocat exercitum; & iiſdem, ſi ita meriti viderentur, cum alia, tum hoc onus militum mittendorum, remittere. Quia ergo, quod ad Philopolemum attinebat, remiſſus Ergaſilo erat exercitus, neque neceſſe habebat cottidie domum Hegionis vocatus venire, & ibi cum militibus non quidem a ſe adductis ſed iſthic repertis rem gerere, patinaſq. valli in modum exſtructas expugnare; ideo rogat facetus in calamitate ſua ſenex,

nullumne interea regẽ aliũ nactus ſit, qui ipſi exercitum imperaret, hoc eſt exercitum eum diripiendis placentis, turdis, ficedulis, & huiuſmodi delicatis hoſtibus alijs haberet. Sic enim *exercitum imperare*, pro exercitum & occupatum habere dixit etiam Ciſtellaria.

Nolo obſecro lacrimis tuis mi exercitum imperare.

Poſſem huc multa adducere de militibus imperandis, remittendis: item docere, quam huic interpretationi faueat, quod reges paraſitorum dicant, a quibus aluntur. ſed illa ex hiſtoricis, hoc ab vno Plauto facile eſt petere, & ſententia, vt ſpero, claret.

CAPVT II.

Rurare. Rurationis dij. Multam oculis accudere. Eugepæ. Alij & Alis. Capteiuei varie corriguntur, declarantur.

FACETE ordinis ſui homines Ergaſilus & eorum res, domi foriſq. quas agant, deſcribit.

Paraſiti(inquit)*rebus prolatis latẽt,*
In occulto miſeri victitant ſucco ſuo,
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.

Rurare interpretantur, ruſticari: ego, opus ruri facere, rus colere; vt arare, aruum colere. hinc *rurationis dij* apud Appuleium, qui operi ruſtico faciũdo præſũt. apologia pro ſe prima.

Iſte vero nec dijs rurationis, qui paſcunt eũ ac veſtiũt, ſegetis vllas aut vitis aut gregis primitias impertit.

Idem Ergaſilus de iiſdem paraſitis adiicit.

niſi qui colaphos perpeti
Potis paraſitus, frangiq. aulas in caput
Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet.

ſatis e diſciplina quidem, quę huic generi eſt muſsitare temulentorum adoleſcentium iniurias, & modo ventres ſuos diſtẽdant huiuscemodi catapultas libenter excipere. Vnde Quinctilianus maior Declamatione quadam; *Paraſitorum, ait, vita eſt contumelias in quæſtu habere, & iniuria paſci.* Ille verſus ſcæna, Si di immortales.

Eiulatione haud opus eſt multa, oculis multam miſeriam additis,

mirum eſt, quam varie ſcribatur: ſed quod veterrimę editiones habent, & quod in mss. repperiri quidam eruditi homines teſtantur, id ego ad verum quam proxime accedere opinor. *Eiulatione haud opus eſt, oculis multa miſeria cuditis.* Correxerim leui mutatione, *oculis multam miſeri accuditis.* Hac ſentẽtia, illos dum lacrimando ſe afflictent, præter eam quam ipſa miſeria fert, aliam quoque calamitatẽ oculis importare, & malo multam accudere nouã. *Cudendi* verbum in mala reponi docet illud iam pæne prouerbium, *in te iſthæc cudetur faba.* Eadem hac ſcæna grauis illa & nimium vera ſententia eſt.

Nam fere maxima pars morem hunc homines habent, quod ſibi volunt,
Dum id impetrant, boni ſunt: ſed id vbi iam penes ſe habent,

Ex bonis peſſumi & fraudulentiſſumi
Sunt. nunc vt te mihi volo eſſe, autumo.

verſu tamē poſtremo, qui ſenarius vt opinor fuit, verbum *eſſe* iterandum eſt, vt ſententia ſibi conſtet.

Sunt. nunc vt te mihi volo eſſe, eſſe autumo.

Ego, inquit, cuiuſmodi te mihi eſſe opto & volo, eiuſmodi eſſe credo: tu ne opinionem meam fallas vide. Scæna ea quæ hàc ſequitur,

Euge pol Thalen talento non emam Mileſium.

in Langianis eſt, *Eugepol.* ſcribo, *Eugepæ!* quæ geſtientis lætitia interiectio eſt, reſtituenda inferius etiam hac fabula e fide librorū veterum, *Eugepæ! edictiones ædilicias hic habet quidem.* paullo poſt.

HEG. *Tum igitur ei, cum in alijs tanta gratia eſt, vt prædicas,*
Quid? diuitiæ ſunt ne opimæ?

Interpretes hîc omnes *in alijs* explicant, *in alijs rebus*; ſed errant mea ſententia, qui cenſeo Plautum *in Alijs* dixiſſe pro, *in Alide.* Cū, ait, tam gratioſus ille ſit in ciuitate ſua, ecquid in re bene vncta eſt? Dixerat autem falſus ille Tyndarus Polycrati familiam atque ipſum adeo & pollere illic plurimum & coli maxime ab Alijs. Verum quid cauſſæ arbitrabimur cur hic noſter *Alios* ſemper & *Alidem* nominet, cum omnes ceteri latini ſcriptores *Eleos & Elidem*? an quod ea nomina ita elata minus noua eſſent Romanis hominibus rudibus adhuc & imperitis rerum Græcarum? equidem cenſeo. nam neque Alia fluuio

Latium, neque Alienſi die faſti clarius quidquam habent. Multis poſt verſibus.

HEB. Facis homo vt redimatur? TYN. Faciam,
ſed te id ego oro Hegio.
HE. Quiduis dum ab re nequid ores faciam. TYN.
auſcultà, tum ſcies.

Verſu priore demiror interpretem ſequi non potuiſſe V. CL. Io. Sambuci mss. qui perſpicue verſores. *Fac is homo vt redimatur.* poſteriore Langiani eleganter. *auſcultadum, ſcies.* & excidit eadem venuſtas ſermonis Aulularia, ſcæna Tace nunc iam.

I ſane cum illo Phrygia, tu autem Eleuſium
Huc intro abi ad nos.

ſic libri recentes, cum in vetuſte editis ſit, *abi tum ad nos.* liquet mihi verius eſſe, *abi dum ad nos.* & ſane verſus tale quid vt adijciatur poſtulat. hoc in editionibus quibuſdam poſtea deprehendi. Sequitur.

HE. Num quæ cauſſa eſt, quin ſi ille huc non redeat viginti minas
Mihi des pro illo. TYN. optime, immo.

Cenſet Lambinus plura dicturum fuiſſe Tyndarum, niſi interpellaſſet Hegio, & ſolet ita in comœdijs. ſed hic cauſſa nulla fuit; itaque magis eſt, vt hæc perperam inuerſa ſint, & reſcribendum, *immo optime*: vt Aulularia. *ſed nuptias Hodie quin facimus, num quæ cauſſa eſt? EV. imædepol optime.*

Paullo ſuperius editur,

Ne vereare, meo periculo huius ego experiar fidem,

Fretus eius ingenio, quod me eſſe ſcit erga ſe beneuolū. Sed rectius opinor, *quod med eſſe ſcio erga beniuolum.* nam cauſſam mittendi habere debebat alterius in ſe benivolentiam, non ſuam in alterum. Altero etiam ſupra hunc verſu,

Neque adeo quoi ſuum concredat filium hodie audacius.

melius mss. *tuum.* nam Hegionis filium ſignificat.

CAPVT III.

Hôc profiteri. Inopes abs ſe. Cottidiano. Matutino. locus hac fabula nunc primum declaratus. alij plures mendis liberati.

SCÆNA, *Miſer homo eſt.*

Nam vt dudum hinc abij, acceſſi ad adoleſcentes in foro.

Saluete, inquam. quo imus vna, inquam, ad prandium?

atque illi tacent.

Quis ait hoc, aut quis profitetur, inquam? quaſi muti ſilent.

Hîc interpretes quoque adoleſcentes illos imitantur, & ad vnum omnes quaſi muti ſilēt, quid ſibi velint illa: *Quis ait hoc.* ego ſcribo, & interpungo, *Quis ait? hôc. Hôc* exaudio *huc*, vt in libris manu exaratis propemodum ſemper ſcribitur, & Plauti quidem etiam expreſſis. ſententia nunc non obſcura eſt. dixerat paraſitus; quo imus vnà ad prandium; ideo tacentibus illis, quos rogarat, adijcit; ecquis audet

dicere, *Huc:* id eſt, ad me eamus? vſitata in illa re aduerbia, *huc* aut *hîc*. Menæchmis. *Menæchme numero huc aduenis ad prandium.* Moſtellaria. *Hîc apud nos hodie cœnes*. Profiteri prandium, promittere eſt. nam ea huic verbo notio etiam apud M. Tullium, Philippica II. *Vt igitur intelligeretis, qualem ipſe conſul profiteretur, obiecit mihi conſulatum meum.* Sed quod me pæne fefellerat, in Plauto paullo ſupra eos verſus eſt,

Ita iuuentus iam ridiculos inopeſq. abs ſe ſegregat.

non bene, & corrigunt membranæ, *inopes abs ſe.* Inopes, ſine ope, deſtituti auxilio. Scæna, *Quo illum nunc.*

Hoc ſi ſecus reperies, nullam cauſſam dico quin mihi
Et parentum & libertatis apud te deliquio ſiet.

Puto antique ſcribendum, *deliquiom ſiet.* nam vt contagionem, ita deliquionem latine dici non arbitror, tametſi vir doctus adfirmet. Non multo poſt,

Quin quieſcis dierectum cor meum, ac ſuſpende te.

De vitio loci huius certum eſt, quod alij aliter tollunt: ego littera adiecta, *Quin quieſcis, i dierectum cor meum.* Rudente. *Quin tu i dierecta cum ſucula & cum proculis.* Scæna ſequenti.

———*vt melius conſulerem tibi,*
Quam illi, qui cum vna puero ætatem exegeram.

Veritas eſt, non coniectura, *vna a puero.* Scæna extrema, *nam is mecum a puero puer Bene pudiceq. educatuſt vſque ad adoleſcentiam.* Paullo inferius ſequitur,

Ibi quum alij octonos lapides effoderint,
Niſi cottidianos ſeſquiopus confeceris.

Vidi libros, in quibus eſſet: *cottidiano.* inſanùm bene. Ita annò, hornò, hodiernò, aduerbialiter efferuntur. Appuleius Mileſiarum IX. *Matutinò me multis oleribus onuſtum proximam ciuitatem deducere conſueuerat dominus.* Matutinò, πρωΐ, prima cum luce. Scæna, *Quanto in pectore.*

An tu dubium habebis etiam ſancte cum iurem tibi?

in Langianis, *Ain tu? dubium.* quod valde placet. Phormione Terentij. *Ain tu? vbi peregre, tibi quod lubitum fuit, feceris.*

Capvt IV.

Terentium a Plauto multa mutuatum videri. Tennere. Potiri mali. Dum tibi fit. Phormio Terentij emendata paſſim.

MVLTA Terentij Plautinis ita ſimilia ſunt, vt dubitari non poſſit, quin ad hæc exempla poëta reſpexerit. neque me fugit, quibus idem ſtudium, argumentum, & prope ſæculum eſſet, in compluria eadem illos neceſſario incurriſſe. ſed profecto imitatio Terentio vel inprimis profuit, cum commode dicta venuſtiora etiam & politiora effingeret. vel hic verſus, Scæna *Hegio aſſum.*

Eheu cur ego plus minusq. feci, quam aequom fuit?

in mente fuit, ni fallor, Pæno illi cum ſcriberet Phormione.

Vide ſi quid opis potes afferre huic. GE. ſi quid.

quid? AN. quære obſecro.

Ne quid plus minusué faxit,quod nos pigeat poſtea.

Plus minus, πλεῖον ἢ ἔλαττον: in quibus rebus omne vitium intelligitur. tum hæc, ſupra hac fabula.

Tu hoc age,tu mihi nunc herus es, tu patronus, tu pater.

quam ſimilia illis,eadem Phormione!

Tu mihi cognatus,tu amicus, tu parens.

Verum lubet eam fabulam porro perſequi, & paucis ex ea notis hæc ad Capteiuos ὑπομνήματα tamquam cumulare. Quod ergo ſcribitur, ſcæna *Itane tandem.*

Pericla,damna,exilia,peregrè rediens ſemper cogites,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ.

Exilia,quam apte hîc ſcribatur non video:certe nihil facit ad ea quæ ſubijcit ſtatim exempla. nam periculorum quidem, morbus filiæ; damnorum,filij peccatum, amatis ſcilicet eſt; exiliorum,nullum. malim igitur, *exitia*, cui reſpondebit conſentaneè,mors vxoris, & gradatim creſcet oratio, *Pericla,damna,exitia.* Coniectura hæc mea eſt. illic,ſcæna *Itane patris.*

GE. quid iſthuc? PH. quia non rete accipitri tenditur,neque miluio,
Qui malefaciunt nobis.illis, qui nihil faciunt, tenditur.

Donatus admonet in libris alijs fuiſſe, *tẽnitur.* quod vehementer amplector. ita Plauti Milite, *diſpennere:* & a tennere, ni fallor, tranſenna & tenus, in eodem aucupio. Bacchidibus.

Nunc

Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit
Pendebit hodie pulcre; ita intendi tenus.

Paullo poſt.

Tene aſymbolum venire, vnctum, atque lautum e balneis,
Otioſum ab animo? cum ille & cura & ſumtu abſumitur,
Dum tibi ſit, quod placeat.

Membranæ Vuerdenſes, quas mecum communicauit Erricus Dudenus eius collegij & Helmſtadij abbas, vir & eruditus & perhumanus, eæ membranæ habent, *dum tibi ſit.* Verbo non multum, ſententiæ permagna elegantia accedit. *Fieri*, in conuiuijs, cum deliciæ inſtruuntur. Truculento. *Mane aliquid iam fiet.* Scæna. *Eni vero Antipho.*

Nam, vt vt erant alia, illi certe quæ nunc tuæ domi eſt conſuleres,
Ne quid propter tuam fidē decepta pateretur mali.

Idem Donatus locuples teſtis eſt fuiſſe in libris antiquiſsimis, *potiretur mali.* & ne illi miſeri critici ſunt, qui tam bonum auctorem ſequi non potuerunt. Potiri mali, opprimi a malo, & in eius tamquam poteſtatem venire eſt. Epidico. *Filiam quam ex te ſuſcepi. PE. quid eam? MV. eductam perdidi. Hoſtium eſt potita.* neque tu mihi diuini aut humani quidquam credas, ſi vmquam aliter ſcribſit Terentius. Corruptelæ origo iam olim fuit, quod non facile ſit videre quo referatur illud *quid*, ſi ita legamus vt nos monemus. at ita *decepta quid* dixit Terētius, vt Græci, ἀπατηθεῖσά τι. Scæna

Quid faciam.

AN. Præſto eſt. oneris audaciſſime quiduis inpone, & feret.

Malim, *ecferet.* id eſt, efferet. Sic Virgilius, opinor. *Quemuis efferre laborem.* Scæna, *Quietus eſto,*

CH. Atque ita facto opus eſt. at matura, dum lubido eadem manet.

Faernus ex omnibus libris ſuis, *& matura.* relligioſe ille quidem, ſed parum conuenienter ſententiæ. nam illa certe magis requirit, *at.* & ita Pſeudolo Plauti. *Iam redeo ad te. at matura, & propera. nam vides Dies multum eſſe.* Vnde ergo in libris, &? ego dicam ubi, quid ſuſpicer. Ei ἀρχαϊκῶς in Plauto & Terentio ſemper ſcribitur, quod nos, i. Extat Mercatore, verum ita vt ante me nemo, quantum video, intellexerit, ſcæna *Profecto ego illunc.*

Vxori facito vt nuncies, negotium
Mihi eſſe in vrbe, ne me exſpectet. nam mihi
Treis hodie lites iudicandas dicito.
Ei & hoc memento dicere. LO. numquid amplius?
LV. Tantum eſt.

Prouocabulum opinantur eſſe, & ita declarát, *Ei:* cum id ſequentia refellant manifeſto. iubet ergo hoc verbo abire puerum, & quæ imperarat recte nunciare. Id igitur *ei* fere deprauarunt in *et:* & deierare auſim eam corruptelá in ſolius Terentij libris ſcriptis quos quattuor hactenus triui, me ſexagies minimũ repperiſſe. Itaque ni admodum erro, rectum eſt. *ei, matura.* Scæna *Noſtrapte culpa.*

Ita faciam, vt frater cenſuit, vxorẽ huc eius adducã.

Cum iſta vt loquatur. tu Geta abi:prænuncia hanc venturum.

Arbitror diſpeſcendam vocem, *tu Geta abi præ: nuncia.* Andria. *i præ, ſequar.*

Idem peccatum, mea ſententia, Adelphis corrigendum eſt ſcæna, *Obſecro populares.*

Æ. Abi præſtrennue, ac fores aperi.

nam malim ſeparare ſyllabas, *Abi præ ſtrennue,* vt alias ſæpiſsime loquuntur in comœdijs. atque hoc Donatum etiam probare video.

Scæna, *Lætus ſum.*

Ego nullo poſſum remedio me exſoluere ex his turbis.

Faërnus, *euoluere.* Vuerdenſes membranæ, quarũ bonitas vel eo mihi probata eſt, quod cum Faërni libris melioribus mire vbique conſpirant, hîc ſeorſum ſentiunt, *me verere ex iſtis turbis.* Elicio hinc verbum non peius vtrouis ſuperiorum, & tamen litteras tranſpono tãtum, *me eruere ex iſtis turbis.*

CAPVT V.

Fugam fingere. Malitia. Capteiuei explicantur, emendantur. item veterum ſcriptorum fragmenta multa apud Nonium.

CAPTIVOS Plauti conquerentes quod in catenis haberentur, & pollicentes officio ſe ſuo non defuturos, ſi ſolutis eſſe liceret, recte reijcit cuſtos callidus & circumſpectus.

At fugam fingitis, ſentio quam rem agitis.

Et profecto ſtrennui & ingenui viri, qui indigne in ſeruitutem coniectus eſt, officio non

abhorret, occaſioni operam dare, & in libertatem vel fuga ſe vindicare.quod hi ſe facturos callide & recte indicant; ſed non fefellit ea machina catum lorarium. in cuius verbis hoc non vulgariter dictum accipio, *fugam fingere*, pro moliri & ſtruere fugam: ſed honeſte inprimis, & antiqua ratione loquendi. Nam iidem Lucillius vſurpauit libro XXVIII. *Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.* Scæna ea quæ hanc ſequitur proxima non bene illa publicantur.

PH. Iſthuc ne præcipias, facile memoria memini
T. tamen
Nam quidem niſi quod cuſtodem habeo, liberum
me eſſe arbitror.

non opus tamen vlla diuinatione, cum membranæ emendent, *facili memoria memini tamen. T. Nam.* Concludam hæc omnia veterum aliquot poëtarum locis, qui in Nonio vitioſi leguntur, a nobis vt ſub manum venerint redintegrabuntur. In Flaccet

Afranius Diuort. Diſperij, perturbata ſunt, iam flaccet fortitudo.

Lego, *perturbata ſum.* mulieris enim verba ſunt, quæ iuſſa foras ire & res ſibi ſuas habere, reſtiterat acriter, & mores ſuos defenderat; quod ex his verſibus ſuſpicari licet, qui indidem alibi adducuntur,

Vigilans ac ſollers, ſicca, ſana, ſobria,
Viroſa non ſum, & ſi ſim non deſunt mihi
Qui vltro dent. ætas integra eſt, formæ ſatis.

nunc perturbari ſe ait viro pertendente, &

labaſcere. Eodem loco Ennij verſum, qui ex Thyeſte depromtus eſt vere corrigo,

Sin flaccebunt conditiones, repudiato & reddito.

cum corrupte libri circumferant, *Inflaccebunt.* Ille etiam ex Iliona Pacuuij ſic ſcribendus in Vnoſe.

Occidiſti, vt multa paucis verba vnoſe obnunciem.

non vt vulgo, *obnuncient.* Vt vno verbo meo multa tua, inquit, compendi faciam & præcidá, perijſti. In Frigit ex Attij Meleagro profert,

Frigit æſtas rubore ex oculis fulgens flammeo.

Scribo, *æſtus.* de Meleagro loquitur vi torris fatalis æſtuante. In Frendere.

Pacuuius Antiopa, Fruges frēdo ſolas, ac ſic probore.

Verum arbitror, *probo ore.* nam certe qui panem conterit dentibus, is eundem ore probat. In Aſſenſit.

Attius Neoptolemo. Vbi nihil contra rationē, & quam habuit aſſenſit ſilens.

Septenarius eſt egregia ſententia, ſi vera eſt animt mei ſuſpicio,

Vbi nihil contra rationem æquā habuit, aßēſit ſilēs.

Tenuiculum illud, ſed non indignum quod moneatur, exemplum Pacuuij legendum in Miſeretur,

At at! cepiſti me cum iſto verbo, miſeretur tui.

cum in libris ſit, *At accepiſti.* In Lacte venuſtiſſimum Ennij carmen contaminauit litterarū aliquot perpera iteratio; quam amoueo.

Et ſimul erubuit, ceu lacte & purpura miſta.

Vulgo, *Et ſi mulier erubuit.* Sed non dubito, quin recte emendauerim; vt etiā illud in Lucti

Attius Pelopidis: Ceſſo hinc ire, & rapere lucti veſtem in lecto coniugis,

nam profecto verius eſt, *in leto coniugis*. In expedibo.

Ennius Eumenidib. Id ego æquum aptius feciſſe expedibo, atque eloquar.

Repono *Id ego æquum ac ius fuiſſe expedibo.* ſenarius integer eſt. Non hinc longe Cæcilij verſui leuis macula adhæret, quam eluo.

In eodem voltu, in eadem mantat malitia.

& malitiā interpretor ingenij ſollertis verſutā aſtutiam, vt ſæpe alibi. In Solüerit.

Cælius annaliū lib. VII. Duos & ſeptuaginta lictores domum ante deportauiſſe facis, qui ductoribus hoſtium ſolüerint ferri.

Loquitur de neſcio quo imperatore, qui in triumpho deportarit inter captiuos duos & ſeptuaginta lictores, qui hoſtium ductoribus præſto fuerant cum faſcibus. & vt opinor de bello Italico ſermo eſt. ſed ea ſententia quo minus diluceat facit mendum, quod obſedit hanc partem. id tollo, *deportauiſſe, faſces qui d. h. ſ. ferre.* Coaceruaui vnum in locum plura, aliter quam iſti emendatores ſolent, qui ſat ſcio libro hinc toti emblemata diſtribuiſſent. ſed facile patior eſſe etiā me ineptiores alios. tu, eruditiſsime Scaliger, iudicabis.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI CVRCVLIONEM QVÆSTIONES.

I. G. GERMANO VALENTI GVELlio Pimpontio, in ſuprema Pariſienſi curia Senatori, S.

VERO, nō auribūs tuis, hoc dabo, G. Pimpōti. omnes ſic prædicāt, quaſi lumē quoddā elucere in hac vrbe prudentiā, eruditionē, humanitatem tuam. Summæ quidē virtutis tuæ teſtes aſsiduos & omni exceptione maiores habes, optimum regem, & florentiſsimam rempublicam. de quorum ſolis ſtudijs & cōmodis cum fuerint ſemper ſtudia & conſilia tua, vetus iam hoc &quaſi domeſticū ellogiū poſſides, SAPIENTISSIMI SENATORIS, ET AMANTISSIMI PATRIÆ CIVIS. Quid de excellente doctrina dicam? cuius famam deus ille poëtarum Maro vna cum ſua ſemper tuebitur: dum quidem gratiarū illius & venerum fontes ex æternis commentarijs tuis ad hominum cognitionem ſcaturrient, & ingenia poſterorum inundabunt. Comitatem illam tuam ſermone omnium maiorem eſſe,

nuper ipſe ſenſi. Quam tu benigne ac prolixe & deferebas omnia mihi homini extero, ignota, ante id tempus inuiſo, & mea cauſſa quiduis facturum oſtendebas! Itaque libenter iam debeo tibi, & non recuſo, quin iure tuo exigere a me poſsis, tanquam æs alienum, vberiorem ſignificationem obſeruátię in te meæ. nam nunc arram duntaxat hanc mitto, minutas aliquot ad Plauti Curculionem obſeruatiunculas: de quibus ego quæro & diſputo tãtum, tu, clariſsime Pimponti, etiam iudicabis, & facile, pro eximia doctrina tua; & libenter, pro humanitate ſingulari.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI CVRCVLIONEM QVÆSTIONES.

Capvt I.

Miſſu. Rem manibus tenere. Faucibus teneri. Perioche Curculionis & ſcæna prima emẽdatur, explicatur.

IN Curculionis ipſo ſtatim limine ſubſiſtit doctiſsimus Camerarius, offenſus varietate ſcripturæ, quæ in membranis aliter eſt, primo Perioches verſu,

Curculio miſſus a Phædromo it in Cariam.

in Langianis fuit, *C. miſſus phædromi.* conijcit ille Germaniæ noſtræ ſol, *Curculio paraſitus Phædromi it in Cariam*. non permiſerim ego mihi eam licentiam diſcedendi a libris. ideo litterula vna extrita, cetera vetuſtos libros ſequor, & reſcribo; *Curculio miſſu Phædromi it in Cariam. Miſſu,* vt iuſſu, ductu, auſu, infinita alia. & hoc, opinor, liquet. Scæna prima.

——*nemini Nec me ille ſinit Iuppiter.*

in ijſdem mss. *Nec me irriſerit*. Repone, *N. m. ille ſirit Iuppiter.* facile hoc; quo magis mirum tamdiu fefelliſſe tamen. *Sirit,* pro ſiuerit. Aliquot ab hoc verſibus.

——*at nunc veto*

Id vti occepi dicere, ei ancillula eſt.

Liber vetus Sãbuci, *veto Inducias occepi.* nõ diſsimile veri eſt, *Inde, vt iam occepi,* Sequitur illico.

Nempe huic lenoni qui hic habitat. PH. recte tenes.

PA. Nimis formido, ne excidat. PH. odioſus es. Sic emendarunt iam diu ex mss. viri docti, ad ſententiam recte, verba tantum perperam cõcepta ſunt, quæ reſtituo e Langianis, *Minus formidabo, ne excidat* & concinnior hinc fit ipſa etiam ſententia. Dixerat Phædromus; *recte tenes.* hoc alio torquens ſeruus, ſi ita eſt, inquit, vt dicis, non erit periculum, ne excidere de manibus poſsit; vt pote quod firmiter & ſtrénue prehenderim. Non diſsimile eſt apud M. Tulliũ, *rẽ manibus tenere*; de eo quod ita ſtatutũ deliberatũq. habeas, vt id eripi tibi, aut de ſentẽtia depelli te non paſſurus ſis. pro Seſtio. *Quæ cum res iam manibus teneretur, & cum conſules prouinciarum pactione libertatem omne perdidiſſent; qui cum in ſenatu priuati, vt de me ſententias dicerent, flagitabantur, legem illi ſe Clodiam timere dicebant; cum hæc non poſſent iam diutius ſuſtinere, initur conſilium de interitu Cn. Pompeij.* Paullo aliter Plautus, *faucibus teneri.* de eo, qui in manifeſto flagitio deprehenditur, vt elabi, aut purgare ſe non poſsit Caſina. *Omnia palam ſunt probra, omnibus modis occidi miſer. Ita manifeſto faucibus teneor.*

CAPVT II.

Crocinum. Hereditas venit. Crepitus polētarius. Num moror. Multæ aliquot ſcænis maculæ ſublatæ. Correctus Terentius.

SCÆNA ſequēti in verbis bibacis illius & temulentæ aniculæ, quibus vino blanditur, & hæc ſunt:

Tu mihi ſtacte, tu cinnamum, tu roſa,
Tu crocum & caſia es, tu bdellium.

ſed Langiani, *Tu crocinum & caſia.* Crocinum, croci odor, etiam Propertio. *Et crocino nares murreus vngat onyx.* Eadem cum Veneri libat paullulum, vt ipſa quam plurimum in ſe inuergat, addit tanquam excuſandi ſui cauſſa.

Venus de paullo paullulum hoc tibi dabo,
Haud libenter. nam tibi amantes propinantes
Vinum dant omnes, mihi haud ſæpe
Eueniunt tales hereditates.

Verum inibi illud, *Eueniunt hereditates,* non redolet Plauti mundiſſimam ſupellectilem, ſed plane anuis alicuius ſordidatam pallulam. Corrigo ergo, *mihi haud ſæpe Veniunt tales hereditates.* Venire hereditas quam venuſte dicatur, norunt qui noſtros libros, Pandectarum quos vocant, triuerunt. Scæna ea, quæ hanc ſequitur.

Recte obiurgas, ſane haud quidquã eſt magis quod cupiam tandiu.

Leuiſſimum mendum nemo tamen hactenus ſuſtulit; lego, *quod cupiam iam diu.* Scæna *Date viam.*

Tum iſti qui ludunt datatim ſerui ſcurrarum in via.
Et datores & factores omnes ſubdam ſub ſolum.

Melius mss. *tum iſtos qui ludunt.* Præcedente verſu,

SALSE Palinurus lenonem ridet, qui lienis & inteſtinorum morbo laborabat, & afflictabatur male. ſed vltimo verſu, quod ait: *ambula, id lieni optumum eſt*; cenſebimus ne temere a ſeruo ludibundo, an vere dictum, & lienoſos iuuari moderata ambulatiuncula? equidem vere potius arbitror; tametſi ea alterius medicinæ dijudicatio eſt, non huius quæ tinearum & blattarum morſui, & grammatiſtarum ictibus tranſuerſis medetur. Sed neſcio quod contra lienis moleſtiá remedium eruiſſe mihi videor apud Nonium e verbis Lucillij. ſic enim in Fouere laudat. *Ventrem alienum mæſtum fouere ex molito ordeo, vti cataplaſmo.* Emendabam; nam quî aliter ex verbis ijs vllam ſententiam quam correctione elicias? ſed emendabam, *Ventrem a lienum æſtu fouere, ex molitō ordeo vti cataplaſmo.* Verum iterum iam dico, hoc medici viderint. ego ad noſtra relabor. Scæna ea quæ hanc ſubſequitur, Palinurus a coco interpellatus in ſomnij interpretatione, cum eumdem cocum ſibi hariolum ſubſtitueret, ait leno;

Da mihi igitur operam. Co. tametſi non noui, dabo

Videtur hoc reſpondere cocus; etſi te non noui, tamen dabo operam: & ſic accipit Cappadox. verum ille ambiguitatem ſermonis de induſtria captans ſignificat, ſomniorum monita ſuam intelligentiam fugere, neque ſe coniectorem eſſe. Scæna huic proxima perpe-

ram ſcribitur.

Ita tibi vacuitate venio laßis lactibus.

vel potius, ne mentiar, accipitur perperam nõ ſcribitur. nam *lactibus laßis* declarant defatigatis; at debebant, inanibus. nam *laßis* & *laxis* promiſcua veterum ſcriptura eſt, vt ijſdẽ *adaßint* & *adaxint*. Vt autem diſtenduntur ſaturitate, ita vacuitate laxantur inteſtina, non laſſantur. Hoc etiam ex Nonio admonet Lambinus; quod vidi cum hæc ſcribſiſſem, ſed tanti non fuit vt delerem. Illo verſu eadem hac ſcæna,

Vocat ad cœnam relligio fuit, denegare nolui.

Interpunctionem mutandam cenſeo, *relligio fuit denegare, nolui.* non auſus fui negare, ait, me venturum, ideo negare nolui. cæna paraſitico generi res ſacra, & cui operam ſuam denegare in nefarijs & illicitis habẽt. Verba Palinuri vapulantis ſunt aliquot ſcænis antea.

Tuam fidem Venus noctuvigila.

quod mihi ἐπίθετον Veneris valde proprium videtur. amat enim hæc in primis dea crebra peruigilia, & otioſos dies, negotioſas noctes ſacris ſuis agundis habet. ea re antiquiſsimus poëta Læuius neſcio vbi *Noctilucam* eandem Venerem indigitat. & is qui prologum Caſinæ ſcite & eleganter prętexuit, ipſam palæſtram eius deæ *excubias*, tametſi non hanc tãtum ob cauſſam, vocat. de ſene in puella clam vxorem ſuam pruriente loquitur.

is ſperat, ſi ei ſit data
Sibi fore paratas clam vxorem excubias foris.

CAPVT IV.

Poſcere clarius. Flagitare, flagitatores, flagitium. Locorum Plauti aliquot explicatio. Curculio emendata.

EADEM ſcæna ſequitur illico,
Habent hunc morem plerique argentarij
Vt alius aliũ poſcant, reddant nemini.
Pugnis rem ſoluant, ſi quis poſcat durius.

ſed profecto vere membranę Langij, *ſi quis poſcat clarius.* Poſcere clarius, in nominibus appellandis proprie & latine ſi loquare, flagitare eſt. Gloſſę veteres. Flagitauerit, μετὰ βοῆς ἀπαιτήσῃ Eędam alibi, Ἀπαιτῶ βιαίως, Flagito, Efflagito, Profligo. Pſeudolo, *Si non dabis,*

Clamore magno & multum flagitabere.

hac fabula, inferius. *Poſtquam nihil fit, clamore hominem poſco, ille in ius me vocat.* quę verba mire hunc locum confirmant, in eadem ré & homine præſertim poſita. Hinc *flagitatores*, qui nomina tumultuoſius & inſtantius appellant. Ciſtellaria, *Sol ſemper hic eſt, vſque a mane ad vſperam Quaſi flagitator aſtans vſque ad oſtium.* & *flagitium*, appellatio clamoſa & cum verborum contumelia. Epidico. *Flagitio cum maiore poſt reddes tamen.* hęc qui ignorarunt, veram Plauto lectionem hic reddere non potuerunt. ſub finem ſcęnę.

LY. Credo hercle eſſe ab illo. nam ita nugas blatis.

Concinnior lectio ſit, *C. h. te eſſe ab illo iam.* ita

nugas b. Scęna, *Phædrome propera,*

M I. Meminiſti hanc turbam fieri? ſed tu dic mi, vbi
Is eſt homo, qui te ſurripuit?

Mirum ni meminerit, turbam fieri, quę etiam multis verbis eam, vt facta eſt, explicarit. itaque oraculum putato, non coniecturam, *Memini iſtanc turbam fieri.* nam de ſua memoria loqui militem, non Planeſij, manifeſtum eſt.

CAPVT V.

Quod ſupererat. Circumretire. Litaniarum Chriſtianarum fons. Conuenire in cœtum. Conuentus. Conuentitij patres. Surrigere. Cinxia. Arnobius paſſim emaculatus & illuſtratus.

NON geminauerat librarius litteram hoc poſtremo loco, quam debebat. ea res dictiones confudit, & ſententiam corrupit. Late graſſata hæc labes eſt, & per omnes ſcriptores varie vagata. ita non bene editur in propugnatore pietatis Chriſtianæ Arnobio, libro aduerſus Paganos III.

Illud vero quod ſequitur quale eſt, quod deos vobis inducitis alios fabros, alios medicos, lanarios, nautas, cithariſtas, aulœdos, venatores, paſtores, &, quod ſuperat, ruſticos.

Verius eſt *quod ſupererat.* ſolent ita latini, cum indigne commiſſa ab aliquo multa commemorauerint, poſtremo adijcere, ſupereſſe vt hoc aut illud præterea in ſe admittat. exem-

pla

pla vbique ſe offerũt, & notus qui modo ſuccurrit Virgiliomaſtigis verſus. *Hordea qui dixit, ſupereſt vt tritica dicat*. In eodem Arnobio illud etiam corruptum libro IV. lubet enim pergere,& periculum facere,tibi ne etiam, G. Pimpõti,probare poſsim ea,quę amico eidem tuo & eidem meo Th. Cantero iampridem probaui.

Nec non & illa Iouis proles in Trachinijs Hercules, peſtiferi tegminis circumpetitus indagine, miſerabiles edere inducitur eiulatus.

Repono, *circumretitus*.atque hoc melius,quam quod in mentem antea venerat,*circumpeditus*. ſequitur enim ,*indagine:* cuius vocis propria ſedes in venatu, & ad retia. Sub libri finem eſt.

Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerint dari? cur conuenticula dirui? in quibus ſummus orator deus, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, regibus,familiaribus.inimicis, adhuc vitam degentibus & reſolutis corporum vinctionibus. In quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos,caſtos, familiares,communicatores rei cũ omnibus quos ſolidet germanitatis neceſsitudine copulatio.

Pulcerrima & venuſtiſsima eſt ἐκτύπωσις τῶν λιτανειῶν ſiue obſecrationum & poſtulationum, quas etiam nunc Deo opt.max. Eccleſia decantat. & neſcio an alibi antiquior earum mentio: niſi quod Plinius quoque Nepos eaſdem indicat,vt arbitror,cum ad Traia-

num imp. ſcribit, *Chriſtianos ſolitos ſtato die ante lucem conuenire, carmenq. Chriſto quaſi deo dicere.* Nam carmen illud haud dubio λιτανείαι & ſupplicationes publicæ ſunt. Sed in verbis Arnobij pro *orator* legendum, *oratur.* id quod etiã v. c. N. Fabro videtur. Sequentia etiam, vt ex editionibus paullo veterioribus deſcribſi, mendoſa ſunt. emaculo ; *caſtos, familiaris communicatores rei.* mendi fons, quia ſcriptum fuit *familiareis* gignendi caſu ἀρχαϊσμῷ, de quo Lucillius. Libro V. eiuſdem Arnobij omnes legunt.

> *Colluctatus ergo diu cum inuita eſt. victus, fractus, ſuperatuſq. diſceſſit, & quem pietas diiugare ab infando matris non valuit appetitu, effuſa libido diiunxit. niſi forte dicetis conuentionis in huiuſmodi cæptum genus vitat atque execratur humanum; apud deos inceſta ſunt nulla.*

Quin hæc maculoſiſsima ſint, dubitari non poteſt. quæ enim aut ſententia idonea, aut vocum ſaltim, vt grammatici loquuntur, cõſtructio apparet? Confidenter hoc dico, præclare emendaui; *conuentiones in huiuſmodi cætum.* nam manifeſto ſignificat τὰς συνουσίας εἰς ἀφροδισιασμόν. Conuenire, liberis operam dare eſt Arnobio lib. VII. *Amant ſuos fætus, & gignendis conueniunt liberis.* Conuentus etiam, concubitus ſupra lib. II. *Ex conuentu Iouis inſeminati & nati ſunt.* Hinc explicandus Plauti locus Ciſtellaria. *Illa te*, inquit meretricula Lemniſelene, *& ego hanc mihi educaui Ex patribus conuenticijs.* Patres conuẽticij videlicet promiſcui

aduentores fuerant, & qui in vnius ſcorti nidum conſpirauerant amatores. Deinde ſcribſi, *cœtum*: qua voce antiqui libenter vſi: poſteriores maluerunt in hac re, *coitum*. Sic M. Tullius cœtum lunæ dixit ſexto de rep. & Lucretius III.

Nil tamen hoc ad nos qui cœtu coniugioq.
Corporis atque animæ conſiſtimus vniter apti.

Poſtea eſt eodem libro.

Pudor me habet alma illa proferre myſteria, quibus in Liberi honorem patris ithyphallos ſubrugit Græcia, & ſimulacris virilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt:

corrigo, *ithyphallos ſubrigit Græcia*: quam labẽ eo magis mirum huic loco hęrere potuiſſe, quod eadẽ pagina de ipſiſsima hac impuritate iterũ dicat. *quos per rura, per oppida mos ſubrigit & veneratur antiquus:* Eſt autem ſubrigere, ſiue, ſurrigere, extollere, arrigere, & erigere: Gloſſæ veteres. Subrigit, ὑπορθοῖ, ὑποστηρίζει. Subrigo, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ. Virgilius de fama, *tot ſurrigit aures*: ſignificans idem quod Terentius, *Arrige aures Pamphile.* Eadem vox in mendo cubat libro VII. *Aſfuiſſe dicto fidem. nã ſubrepto culmine conuerſoq. ad ſolem ſigno, patuiſſe res abditas, & reſerata in maleficia vindicatum.* Perſpicue verum eſt, *ſubrecto culmine*. hoc eſt, altius elato. atque hoc liquet, cum ex antecedentibus verbis, tum ex hiſtoria, quam e M. Tullio tranſcribſit. Libro VI. Arnobij verba ſunt,

Ridetis temporibus priſcis Perſas fluuios coluiſſe, me-

moralia vt indicãt ſcripta,informẽ Arabas lapidẽ,
acynacẽ Scythiæ nationes,ramum Prognes Theſpios.

In ijs illa, *ramum Prognes Theſpios*, a Gelenij coniectura ſunt. nam in veterima editione Romana Canterus repperit, *ramum procinxi Atheſpios.* ſcilicet male diſsiluerunt litteræ, quas coniungo tantum, *ramum pro Cinxia Theſpios.* Iunonem hîc ſignificari paret e loco Clementis,quẽ laudat ille diligẽtiſsimus amicus noſter.eam Cinxiæ nomine Romæ colebant,quod cingulo nouę nuptæ præeſſet. Feſti mutilator Paullus. *Cinxiæ Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptijs: quia initio coniugij ſolutio erat cinguli, quo noua nupta cingebatur.* ipſe Arnobius lib IV. *Vnctionibus,* inquit, *ſupereſt Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi.* Verum igitur hoc, & quod diſsimulare non debeo, etiam N. Fabro antequam me noſſet ita viſum; quem amiciſſimum mihi hominem etiam hac iudicij ſimilitudine mecum concurriſſe, valde gaudeo. De ramo Theſpiorum tamen alibi, aut nõ legi, aut legere me non memini. Vnum etiam adijciam, ſed grauiſsimum omnium & tanquã ὕπουλον vulnus, optimo ſcriptori a malis librarijs inflictum libro VII.

Si hirundines garrulæ pariterq.cum his porci ſenſu aliquo humanitatis accepto deos putarent atque exiſtimarent vos eſſe,ſacraq. intenderent: honores ergo facerent nõ ex materijs alijs,alijſq. de rebus ſed quibus ali moris eſt illis, & naturali appoſitione fulciri. Audire a vobis expeto vtrum hunc honorem an contumeliam potius eſſe iudicaretis.

Medicinā diſtinctione facio&leui mutatione, *ſacraq. intenderent honoris* (vel,*honoreis*) *ergo facere non e.m. a.a. d.r.ſ.q.a. m.e.i.e.n.a. fulciri, audire à vobis expeto*. Honoreis Arnobius hîc quoque ſcribſerat gignendi caſu: iſti muli accuſandi acceperunt; ideo inmutarunt, vt cōuenirent cetera. Nihil vſitatius hac formula, *honoris ergo ſacra facere*: non item, *ſacra intendere. Honores facere*, ne latinum quidem eſt.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI CASINAM QVÆSTIONES.

I. G. CLAVDIO PVTEANO, Conſiliario Regio in ſuprema Curia Pariſienſi. S.

AMo M. Tullium, Cl. Puteane, & in eo multam iam diu operam pono. neque tamen iſtos religioſos imitor, qui vt germani Cicerones audiant, ſcriptorem ab illo alium tangere non audent: ne vocula forte ad calamum adhæreſcat, in relliquijs his, quas longa ætas miſere mulcauit aut mutilauit, non lecta; aut circumductio verborum exeat, a filo Ciceronis, qua fine illi definiunt, aliena. peruerſi mehercule homines, qui vt ab impolitie linguam vindicent, mentem ab inſcientia liberatam nolint. Nam, vt iam aſſequantur quod volunt, quid magnum fecerint, ſi verba teſſellatim compoſita & tamquam in emblemate depicta niteant, ſententiæ nudæ ſint & inanes, cum prudentia, quæ ex auctorum; tum doctrina, quæ ex artium varietate liberali emanat? Verum profecto etiam quod tantopere ſe-

quuntur, non aſſequuntur tamen. non enim M. Tullio beata illa verborum & ſententiarum copia nata in primoribus (vt aiunt) labris, ſed ex vetuſtiſsimorum ſcriptorum fontibus deriuata: tametſi ſitum illum & ſqualorem vetuſtatis nitore ſuo ſibi ingenuo deterſerit, & mitigarit. Itaque fremant licet qui volunt, niſi omnem linguæ latinæ non ornatum modo, ſed ortum etiam perſpexerint, ne intelligent quidem diuitias Tullianæ dictionis, nedum imitatione exprimere poſsint. Hoc cum mihi ſuaſiſſem iam diu, antiquitatem omnem cognoſcendam exiſtimaui, vt rectius cognoſcerem diuinum Ciceronem: tum ex antiquis eos penitiſsime, quos ille & probauit & expreſsit maxime, M. Plautum & P. Terentium. Quantum profecerim neſcio; triui quidem vtrumque non indiligenter. illum, quo fœdius temporum & hominum iniuria an incuria acceptus eſſet, etiam illuſtrare conatus ſum. cuius opellæ hanc partem facio iudicij tui, Cl. Puteane; quod, cum a maioribus reipublicæ negotijs vacabis, vt ad hæc leuiora demittas valde te rogo. vel errantem in ſemitam reducet, vel confirmabit dubitantem facile ſumma apud omnes auctoritas tua: cui ſi probabor, iſtorum vitilitigatorum dentem & morſum facile vel ridebo, vel refutabo.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI CASINAM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Enduo. Optio. Nummus plumbeus. Caſina multis locis emendatur, declaratur.

CASINÆ prima ſcæna ſuboffendit me illis verſibus,

Quin edepol etiam, ſi in crucem vis pergere,
Sequi decretum eſt. de hinc conijcito cæterum,

illud, *dehinc:* ſolet .n. aliter Plautus. itaque labor, vt extrita ſyllaba legam, *Sequi decretum eſt. hinc c. c.* aut certe, *S. decretum eſt te, hinc.* ne priore quidem verſu recte ſepararunt, *etiamſi,* perperam interiecto commate, quod ſequi debebat vocem, *edepol.* Verum hęc leuiora, vt noſtra pleraque. Aliquot poſt verſibus eſt.

OL. Mea præda eſt illa. proin tu te in laqueum induas.

Libri veteres, *ne duas.* Scilicet, quia olim in archetypo, *enduas,* Induo & Enduo, a duo: vt a do, indo. Scęna, *Sequimini me.*

Nec mihi ius meum obtinendi copia eſt.

Et Langij & Sambuci & aliorum ſcripti codices, *obtinendi optio eſt.* valde hoc ſe mihi probat. Optiones in militia notum eſt, fuiſſe quos ſibi optarent centuriones, tamquam adiutores

rerum gerendarū. hinc optio quemuis rei perficiundæ adiutorem ſignificat. Aſinaria. *Tibi optionem ſumito Leonidam.* Venuſte ergo Cleoſtratra optionem ſibi eſſe negat, id eſt, auxilium, adiumentum ius ſuum obtinendi. & mira res, tot viros doctos eam ſententiam horum verborum non vidiſſe hactenus. Scæna, *Omnibus rebus*, ſatis ſcite ſectarius iſte veruex ineptas elegantias amatorum recenſet: tum de ſe adiungit.

Hanc ego de me coniecturam domi facio magis,
quam ex auditis.
Qui poſtquam amo Caſinam, magis initio mundi-
tijs munditiam antideo.

Vbi malim, *magis niteo, munditijs munditiam antideo.* certe parum conuenit, *initio.* nam amarat iampridem Caſinam. nitores autem nitidos amori ſupra dedit; nunc ſibi, vt opinor, pullo ſcilicet Cupidinis. Eadem ſcæna.

Cui homini hodie peculi numus non eſt niſi plūbeus

Vocem, *niſi*, deleo e fide librorum. Nummus plumbeus, minimi pretij. Trinummo. *Cui ſi capitis res ſit nummum numquam credam plumbeum.* Sequitur ſtatim.

Mirum ecaſtor te ſenecta ætate officium tuum
Non meminiſſe. ST. quid ais? CL, quia ſi facias recte.

Multo melius Langiani, *ST. quid iam? C. quia.* *Quid iam* Plauto eſt quare, quamobrem. Perſa. *Te in exilium ire hinc oportet. Do. quid iam? TO. quia periurus es.* Scęna, *Qui illum dij.*

Si non impetrauit, etiam ſpecula in ſorti reſtat
mihi.

Langiani, *in ſortita ſunt mihi.* Credo ſcribſiſſe poëtam, *ſpecula in ſorti vnaſt mihi.* Simillimus locus Capteiuis eſt, quem Lambinus adducit.

CAPVT II.

Apponere. Ameci. coaddere. coaccedere. in Caſina multa cenſura. vna in Statij Papinij Siluis.

SCÆNA ab illa ſecunda vulgati omnes habent,

Depone hic ſitellam. ſortis cedo mihi. animum aduortite.

Sed mss. *Appone hic ſitellam.* verius. Terentius Heautontimorumeno. *At iſtos raſtros interea tamen Appone.* tametſi illic etiam ſcioli libros quoſdam interpolarint. Pœnulo. *At onus vrget. MI. at tu appone, & reſpice ad me.* Illud, vt opinor, in maioribus beneficijs eſt, quibus nos Plautum demeruimus ſcæna, *Si nunc me.*

Atat concedam huc audio aperiri fores
Mihi beniuolentis. atque a me prodeunt.

nam quid illud, *atque a me prodeunt?* an, a domu mea? quam ſeruus nullam vſquam habuit. iam ſi herilem intelligeret, latine dixiſſet, *a nobis.* nil certius diuinatione mea:

Mihi beniuolentis atque ameci prodeunt.

εἰρωνικῶς ſeruus amicos & beniuolentes ſuos dicit herum & Olympionem conſeruum, qui acerrime amorem ſuum expugnaſſent. *Ab antiquis ameci & ameca per E litte-*

ram efferebantur, ait Feſtus. Scæna, *Nunc amici.*

Curam erue, exime, caſtigare, id ponito ad compendium:
Cano capite, ætate aliena, eo addito ad compendium,

in Langianis & Sambuci vetere non eſt, *erue:* & profecto recte non eſt. Sed medicinam non incommode ceteris feci, vna ſyllaba quæ fugere viſa eſt reprehenſa, *Curam eximere, caſtigare, id ponito ad compendium.* Quod, inquit, curam hanc & amorem verbis eximere mihi, quod me caſtigare fortaſsis cogitas, ſuperſede opera tua: etiam illa, quæ dici ſolent ſenibus laſciuis, cano capite! ætate aliena! cui vxor ſit! omitte. nam fruſtra omnia dicentur. Verſu altero legendum *coaddito*, vt membranæ habent, non vt nequam iſti libri qui vulgo expoſiti ſunt, *eo addito*. ita *coaccedo* dixit, Curculione. *Pro ijs decem coaccedunt minæ.* Scæna, *Stultitia magna eſt*, a principio ſtatim.

Id eum diem, cui quod amet in mundo ſiet.

Langiani, *qui quod amet:* *Qui* auferendi caſus eſt. ſtultus, inquit, amator eſt, qui eo die quo ad manum illi amica eſt in forum procedit. Nota ea permutatio C & Q. litterarum, quæ ſępe turbauit in bonis ſcriptoribus. cuius exemplum, quia incidit opportune, ſubijciam e Statij Papinij libro II. Siluarum, verſus in Glauciam delicatum puerum Melioris morte præmatura extinctum inter alios

& hi ſunt.

——plebs cuncta (nefas) & præuia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Muluius agger
Tranſuehit, inmeritus flammis dum triſtibus infans
Traditur, & gemitum formaq. ac voce meretur.

Mirum vero, ſi mortuus & elatus puer loqui potuit. nam aliter qui mereri potuit gemitum vulgi voce, niſi loquutus ſit? de forma enim alia res eſt; qui in lecto collocatus, & in ignem iam iam imponẽdus in populi conſpectu, venuſtiſsima ſpecie vel lacrimas multis haud dubio excuſſerit: quam præſertim nihil inmutaſſet morbus, vt ſuperius cecinit Papinius. Verum igitur, quod iam diu imbibi corrupta hęc eſſe, & reſtituenda.

——gemitum formaq. æuoq. meretur.

Nimirum olim fuiſſe, *æuoce*, ea conſuetudine ſcribendi, quam attigi. Id librarios imperitos impulit, vt porro ruerent. coniungit eadem in eodem puero ſupra quoque,

——hinc anni ſtantes in limine vitæ
Hinc me forma rapit.

& non exceſſerat annum duodecimum.

CAPVT III.

Dic ſis. Specta ſis. Setæ *in barbis. Tametſi. Plautus paſsim hac fabula correctus. item Titinnius in Nonio.*

CÆNA, *Nulla ſum.*

Numero dicis,ſed hoc quidquid eſt loquere, in pauca refer.

ſententia vix aliqua hinc conficitur: idonea quidem huic loco nulla. emẽdandũ cẽſeo, *N. dic ſis, & hoc quicquid eſt.* compone priora & ſequentia, neque dubitabis veram eſſe opinionem meam. Eandem mendam in Nonio videor deprehendiſſe, quo loco docet gignendi caſum poni interdum pro accuſandi. Titinnius Pſaltria. *Dicis tu quæſo, quo te auortiſti? mei faſtidis, mea deliciæ?* Malim, *Dicſis tu quæſo.* & requirit certe ſententia. Eadem ſcæna.

—hera atque hæc dolum ex proximo hunc protulerunt.

Ego huc miſſa ſum ludere.

Legas, *hunc miſſa ſum ludere.* & apertior ſententia erit, atque reſpondebit ijs quæ paullo ante dixit, *Ludon ego hunc facete.* ſed tamẽ alterũ illud magis placet, vt argutius multo. Ea quę ſequitur,

OLY. Aha hodie. STA. mane vero, quamquam faſtidis. OL. hei hei, fœtet
Tuus mihi ſermo.

In Langianis, *ei, ei, fætet.* Scilicet ἀρχαϊκῶς *ei* verbũ eſt, ab *eo.* de quo ſupra me dixiſſe memini. id autẽ vincit, quod idẽ Olympio mox adijcit, *ὦ ζεῦ potin a me abeas.* Poſtea eſt.

Ego iam intus ero, facite cæna mihi vt ebria ſit.

Lãgiani, *cænã mihi, vt ebria ſit.* & agnoſco dictionẽ Plauto propriã. Scæna, Senſim ſuperatolle.

Venus multipotens bonam vitam mihi
Dediſti, huius quum copiam mihi dediſti,
Corpuſculum mellitulum.

Langiani, *copiam mihi feciſti.* probo. ijdem, *corpuſculum mællicuum.* quis ille fungus, qui non ſentiat verum eſſe, *mollicuum*? Scæna proxima hera ancillulæ imperat, vt obſeruet quid amator depontanus rei gerat.

Spectato, inquit, *hinc omnia intus; quid intus agant.*

Verum libri quidam, *ſpectatis.* arbitror venuſte emendari, *ſpecta ſis.* quo modo paullo ante alia emaculauimꝰ. Deinde illo verſu ſcęnę vltimę,

Quid feciſti? ſcipionem aut quod habuiſti pallium.

diſtinguo & corrigo, *Quid feciſti ſcipione?* ita enim re amiſſa interrogari ſolet. paullo poſt, *tuo quid factum eſt pallio?* Non longe hinc ſuperius, in flagitioſa narratione Olympionis.

Ita quaſi ſentis labra mihi compungit barba.

venuſte, ſed magis probo librorum veterum ſcripturã, *Itaque ſetis labra mihi compungit barba* tametſi non repugno, ſi quis malis ex editis auorum memoria, *Ita quaſi ſetis labra mihi compungit barba.* Setas quidem denſum capillorum horrorẽ vocat, vt mea opinio eſt, admodum ſcite & eleganter: & a cauſſa eadem neſcio qui poeta vetus, *barbã ſetoſam.* Illa quoque paruo interuallo ſequentia nõ commode interpunguntur.

Nugas iſtuc dicere licet. vapulo ego hercle inuitus tamen.

Etſi malum merui hac dabo me protinus in fugam.

Diſtinguenda cenſeo, & e Langianis etiam corrigenda leuiter,

vapulo ego hercle inuitus tamen
etſi malum merui. hac dabo me protinus, & fugiam.

Nã parum animaduerſum hoc loco in tmeſi antiquum aduerbium, *tamenetſi.*

CAPVT IV.

Præfeci tamen. Id eſt. Sperare deos. Dicax nimis. Caſina iterum percurſa, & correcta ſæpius.

ETIAM nunc Caſinam curſim relegi: repperi leuicula quædam, ſed eiuſmodi, vt indigna non ſint, quæ huic chartæ committantur. Reſpõdet villicus Chalino, a quo rus ire & munus ſuum curare iuſſus erat, his verſibus.

Chaline, non ſum oblitus officium meum.
Præfeci rure recte qui curet. tamen
Ego huc quod veni in vrbem, vbi impetrauero,
Vxorem vt iſthanc ducam, quam tu deperis,
Bellam & tenellam Caſinam conſeruam tuam,
Quando ego eam mecum rus vxorem abduxero,
Ruri incubabo vſque in præfectura mea.

Secundo non recte interpungunt, cum deberent ita. *Præfeci rure recte qui curet tamen.* hic enim ſententia concluſa eſt; vt in eadem voce ſæpe alibi, quod pauci aduertunt. Sic e

libris emendauimus Capteiucis.

Iſthuc ne præcipias, memini facili memoria tamen.

neque aliter illud eſt Milite.

Conſerui conſeruæq. omnes bene valete & viuite,
Bene quæſo inter vos dicatis & mihi abſenti tamē.

In colloquio matronali facili & comi ingenio mulier Murrhina iubet Cleoſtratam viro morem gerere, neque aduorſari ſi ille foris aut domi aliam quærat, quam incubet. at Cleoſtrata longe alia indole,

Satine, inquit, *ſana es? nam tu quidem aduerſus tuam iſtam rem*
Loquere.

Quam rem dicat, interprete non indiget. ſciūt omnes, quid mulieres habeāt, viri exerceāt. ſed planior ſententia erit ſi legeris, *aduerſus tuā iſta rem.* Eadem illa attenta ad rem ſuam mehercule mulier interuenientem virum male accipit verbis multis. in iis hæc ſunt.

Vnde is, nihili? vbi fuiſti? vbi luſtratus? vbi bibiſti?
Adeſt mecaſtor, vide palliolum vt rugat. S T. *di me & te infelicent,*
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi.

Altero verſu veterrimæ editiones, *id eſt mecaſtor.* quantum mei iudicij eſt, vere. Rogarat eū vbi perpotaſſet, tum acrius in habitum intuēs, id eſt mecaſtor, ait; vt ſcilicet perpotarit. nam vel hoc palliolum vide, vt rugas contraxit a deſidiabulo illo ſedentario. *id eſt* vel *hoc eſt*, eorum quæ dicta vel acta ſunt aſſeuerationem habet. Inferius hac fabula.

Vt

Vt properarem arceſſere hãc ad me vicinam meam,
hoc erat
Ecaſtor, quod me tanto vir opere orabat meus,
Liberæ ædis vt eſſent ſibi.

Scæna, Vna edepol opera, ait Stalinus.

Bene dice. dis ſum fretus, deos ſperauimus.

Omnino melius, *deos ſperabimus*. prius illud de omni vita ſua dicit, a dis eam pependiſſe; poſterius de euentus boni ſpe in deos collocanda. ita neſcio vbi idem noſter, *Deos teq. ſpero.* & notanda forma ſermonis, *deos ſperare*; qua comici ſæpe vſi, pro dijs confidere: Vergilio etiam, deos metuere I. Æneidos.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate deos, memores fandi atque nefandi.

Scæna, *Nunc amici.*

Attate cædundus tu homo es, nimias delicias facis.
ST. Quid me amare refert, niſi ſim doctus & dicax nimis.

Dicax nimis, ait; quia dixerat Alceſimus, *nimias delicias facis.* & comicis *nimis* idem eſt, quod *valde.* vnde illa omnibus paginis obuia *nimis facete, nimis lepida mulier, nimis docte luſit.* amici mei acumen hîc non placet.

Capvt V.

Eteſiæ venti. Medidies. Ciceronis in Rulliana loci duo emaculati. & Lucretius leuiter.

NON leuiter debent induſtriæ tuę, Cl. Puteane, ij M. Ciceronis libri, quibus P. Rulli lex agraria oppugnatur. quo libentius iudicium tuum exquiro de ſubobſcuro loco libri II. ex quo nunc primum tætras tenebras expuliſſe mihi videor, & lucem claram eodem intuliſſe: ita tamen, niſi aliter tibi videatur. Ait Cicero.

Quod ſi Alexandria petebatur, cur non eoſdē curſus hoc tempore quos L. Cotta L. Torquato coss. cucurrerunt? cur non aperte, vt antea? cur non item, vt cum decreto & palam regionem illam petierūt? an quietis ijs, qui per curſum rectum regnum tenere non potuerūt, nunc tætris tenebris & caligine ſe Alexandriam peruenturos arbitrati ſunt?

Qui iſti quieti, qui regnum per curſum rectū tenere non potuerunt? an, vt cenſet eruditiſſimus Turnebus, Cæſar, & eiuſdem factionis alij populares? nugæ. ſed vide quantula res quantos ſæpe errores pariat. Syllabæ perperā diſiunctæ hinc aptiſsimam huic allegoriæ vocem ſuſtulerunt, & ſimul omnem venuſtatem deformarunt ſententiæ. Niſi tamen male conijcio ſcribſiſſe Ciceronem, *an qui etiſiis, qui per curſum rectum regnum illud tenere nō potuerunt.* Etiſiæ ſiue eteſiæ (nam vtrumque recte tranſcribitur e grꝗco, ἐτησίαι) vēti ęſtiui ſunt, quorum ſerenus & minime turbulentus aut imbricoſus flatus eſt. ij ſpirare incipiunt media æſtate vſque ad exortum arcturi, quod ſidus vehemētes fluctus cum exoritur concitat. Be-

ne ergo Cicero ſiccis ventis quibus ſuccedit atrox tēpeſtas ἀλληγορικῶς ſignificat actionem tranquillam & facilem, cui difficilis & intricata ſucceſſerit. Adiuuat hoc etiam, quod eteſijs Roma Rhodum commode nauigatur. vnde recta & vſitata tranſmiſsio in Ægyptū Romanis erat. docet Cicero é Cilicia ſoluturus, ad Atticum VI, VII. *Rhodum volo puerorum cauſſa: inde quamprimum Athenas. & ſi eteſiæ valde reflant*. Etiā Lucretius cauſſam inundationis Nili ait eteſiarum flatum, qui in Ægyptum incumbat, & Nili amnis curſum ſuſtineat, libro VI. verſus ipſos mellitiſsimi poëtæ adſcribam.

Nilus in æſtatem creſcit; campiſq. redundat
Vnicus in terris Ægypti totius amnis:
Is rigat Ægyptum medium per ſæpe calorem,
Aut quia ſunt æſtate aquilones oſtia contra
Anni tempore eo, quo eteſia flabra feruntur,
Et contra fluuium flantes remorantur, & vndas
Cogentes ſurſus replent, coguntq. manere.
Nam dubio procul hæc aduerſo flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis a ſtellis axis aguntur:
Ille ex æſtifera parti venit amnis ab auſtro
Inter nigra virum percoctaq. ſæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.

Verſu poſtremo leuiter corrigendum, *medI ab regione diei*. hoc eſt, a penitiſsima regione medidiei. nam *medidiem* dicebant antiqui, quod poſteri *meridiem*. & adhæſit A ex voce ſequenti. Liquet, vt ſpero, illa correctio noſtra in Cicerone, cui adijciā aliam nūc ex eodē libro.

Neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti atque auſpicia a ſimili furore deterrent. nam & ipſe qui deduxit, & qui magiſtratum Capuæ & Leocreãti ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris, attigerunt, omnes acerbiſſimas impiorum pœnas pertulerunt.

Corrigebam de ſuſpicione, *& qui magiſtratũ Capuæ ex lege creati ceperunt.* & probari poterat, vt exiſtimo, emendatio mea, quæ neque a verbis corruptis longule aberrat, & ſententiam ſane quam commodam habet. nunc libri Turingici, quorum lectiones ab erudito homine & accuratæ diligentiæ Suffrido Petro poſtea nactus ſum, ij, inquam, libri verius: *& qui magiſtratum Capuæ locare ante ceperũt.* de quo & alijs multis huius libri locis alibi copioſe.

IANI GVLIELMII

IN PLAVTI CISTELLARIAM QVÆSTIONES.

I. G. NICOLAO FABRO Regio S. A. Q. Conſiliario. S.

DE Palmerio, mi Faber, eſt ita vti ſæpe dixi. magnum virum amiſimus, & ſcriptorem non e multis futurum, ſed plane e principibus; ſi illi fata vitam extendiſſent. Neque tu id non vides ex Spicilegiorum libris, properatim illis quidem & opera pæne tumultuaria congeſtis, ita tamen erudite ac copioſe, vt multorum vindemias ac meſſes ſuperent. Nam quod iſti obijciunt, audacia liberiore vſum in ſcripturæ veteris mutatione, fidem memoriæ tuæ appello, Faber, num mutauit? aut vllos libros contaminauit? vt hodie audaciſsime iſti critici. Ego vero ſic cenſeo, in editione auctorum ſumma religione cauendum, ne ſupponatur antiquæ & receptæ lectioni commenticia & noſtra; in huius generis miſcellis ludum ingenijs dari aliquo modo poſſe: hactenus, ſi is ludus ſeria ducat, & doceat quod ſcire quam neſcire potius ſit. quod hic noſter ita ſequitur,

vt tum vtiliſsime multa moneat ſæpiſsime, cum peccat maxime:quæ tamen peccata eruāt per me, ſi poſſunt, qui eius memoriæ hoſtes ſunt; viros dixero. nunc conuicio & mendacio in fato ſuo functum graſſari, quid aliud eſt, quam acceptam plagam muliebriter lamentari, cum viriliter vindicare non poſsis? Vnum vtinam abſtinuiſſet, acerbitate verborum vti in eos,a quibus diſſenſit: quod tamen & in re minus eſt,quam quidam differunt, & quamuis neque probarim vmquam,neque ſequar, tamen auſim dicere eum prope iuſtis cauſsis adductū feciſſe. Fallor hîc amore fortaſsis,&,quod non debeo,excuſo. itaque non pertendo pertinaciter; neque enim eſt pudoris aut naturæ meæ. Illud quidem non vt amicus, ſed vt iuratus teſtis, liquido confirmare poſſum,moribus apertis,ingenuo candore, fide maxima,& in ſtudijs,&in omni vita fuiſſe. non ad exemplum iſtorum,

Deuinctus animus quorum atroci malitia eſt,
Compoſita dicta pectore qui euoluunt ſuo,
Quæ cum componas dicta factis diſcrepant.

qui ijdem homines, vt noſter comicus ait,

Etiam vnum hoc ex ingenio malo malum inueniunt ſuo:
Nulli amici ſunt, inimicos ipſi in ſeſe omnes habent.

Merito id quidem. nam, vt etiam Cæcilij ſapientiam huc aduocem,

Hi ſunt inimici peſſumi, fronte hilaro, corde triſti,
Quos neque tu apprehendas, neque vitare ſcias.

Verum non ad illam formam hic noſter: ſed

ad antiquorum hominum alteram, INTER BONOS BENE AGIER, &, EX FIDE BONA. in cuius minimis laudibus erat, vtriuſque linguæ, omnis hiſtoriæ, totius philoſophiæ, iuris ciuilis magna cognitio: cum maiora illa eſſent, vir bonus, certus amicus, boni publici amantiſsimus quod eſſet. Quod ego EX ANIMI MEI SENTENTIA non affectu beniuolétiæ teſtimonium perhibeo mortuo, cum quid mihi præmij ſit ementienti? pręſertim qui hæc ipſa fremente & indignante calumnia dicere mę ſciam. Verum ad te referor, mi Faber, &. quo præſtantiore ſenſu humanitatis es, eo vehementius contendo, vt ignoſcas prolixitati iuſti doloris, & veri amoris mei. qui tamen amor me non fallit, neque hoc iudicium nunc primum extorquet, ſed ex illo olim natus eſt, & certe mortuo quoque debetur. Nunc hęc ę Plauti Ciſtellaria vide, & tua illa miniata cerula meliora effice, vt ſoles noſtra omnia; quorum tu κανὼν es. Me quidem parum delectat hic abortiuus fetus; ſed tibi amminiculanda, aut excuſanda negligentia noſtra: quod impetrabit abs te facile amor in me ſingularis tuus, quo æquaſti iam in te meum, ſuperabis numquam.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI CISTELLARIAM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Heia. Iuuat tibi. Vexari. Effligere. multa paßim emaculata in Ciſtellaria. indidem locus ab Euripide. correctus Cicero.

SCæna prima ingenia meretricum & puellæ liberalis probe & luculentè expreſsit in primis ijs verſibus,

At ſatius fuerat eam viro dare nuptum potius. LE. etiam,
Hæc quidem ecaſtor cottidie viro nubit.

& quæ ſequuntur. primo leue mendum eſt, quod tollunt libri Langij, *potius. LE. heia! Hæc quidem.* eá apta reprehendenti aut irridenti interiectio eſt. Paullo poſt ſequitur.

Quid dicam, niſi ſtultitia mea me in mærorem rapit?

Vſitatius ſit, & fortaſſe an verius, *in mærorem rapi.* Certe ita non hinc longe loquitur eadem Silenium, *Sed ego mea culpa & ſtultitia peius miſera maceror.* Sub finem etiam ſcęnæ.

Accipias clauis, ſi quid tibi opuſt, erit promtu promito,

Multo ſincerius ijdem, *ſi quid tibi opuſt, erit in promtu, promito.* Paullo poſt,

Quando ita tibi lubet vale atque ſalue. SI. ſi poſ-

ſim, velim.

eædem membranæ, *tibi iuuat.* neque dubium, quin ita etiam loquuti ſint Plautini ſæculi homines. Scæna, *Credo ego amorem.*

Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota
miſer.
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo.

Aptum verbum eſt, non nego, *verſor:* cum de rotæ ambagibus mentio eſt: tamen pluſculum placet, quod in tuo libro V. Cl. repperiſti, *vexor in amoris rota miſer.* & haud dubio ea vera lectio eſt. *Vexare*, huc illuc reciproco impetu iactare eſt, ſiue, vt gloſſæ veteres explicant, ὀχλεῖν, σκύλλειν, χειμάζειν. Virgilius. *Scyllam Niſi quam fama ſequuta eſt Dulychias vexaſſe rates.* quem verſum operæ erit videre defendentem A. Gellium contra criticorum ineptias. Deinde in Langianis eſt, *ita nubilam mentem Animi habeo.* probiſsime. & quare nubilam, tot verba ante dicta oſtenderunt planiſsime, quibus illuſtrandis non parum faciunt hæc ex Euripidi Hippolyto, de Phædra amore æſtuante.

δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοί,
τάχα δ' εἰς θαλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν.
ταχὺ γὰρ σφάλλῃ, κοὐδενὶ χαίρεις·
οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρὸν, τὸ δ' ἀπὸν
φίλτερον ἡγῇ.

Certe gemina illis hæc ſunt. *Modo quod ſuaſit, diſſuaſit.* & iſta paullo ante, *Quod lubet, non lubet iam id cõtinuo.* Sed ijdẽ libri nõ placẽt hoc loco,

Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit.

cum habent, *laſſum animi.* Lapſus animi, proprie de amatore, cui amor cum imminet, animus elabitur. Propertius.

Perditus in quadam tardis palleſcere curis
Incipis & primo lapſus abire gradu.

Illud leue eſt, eo verſu;

Si illam vxorem duxero mihi vmquam quam deſpondit pater:

inuerſis vocibus legendum eſſe, *vmquam, mihi quam:* ſed non inutile viſum, vt monerem, vel ideo vt in locis alijs grauioribus reminiſcamur, non raro traiectis vocibus Plautum corruptum. Non multo poſt.

AL. Non. hem quid agis? MEL. igitur animum aduorte vt quid agas ſcias.

Langiani, *hem, quid agam?* probum id eſſe vincunt verba Melænidis, *quid agas.* Sequitur.

Niſi ego te, tuamq. filiam, meq. hodie obtruncauero.

Corrige, *teq. tuamq.* vt in membranis eſt. Deinde ſequitur.

Et quidem hercle niſi pedatu tertio omnis afflixero.

Vere Lambinus, *pedatu tertio:* quomodo me etiam puerum correxiſſe multi meminerunt. Præterea in Langij eſt, *effixero.* Scribo, *efflixero.* Verbum probum, ſed e libris paſsim omnibus eiectum, *effligere:* idem quod perdere, peſſumdare: & ab eo multo in vſu hodie etiam, *efflictim.* Et differunt affligere & effligere, vt afficere, & efficere. alterum imminens exitium & iam iamq. impendens ſignificat, alterum præ-

ſens. Cicero epiſtola ad Terentiam. *O me perditum! ô me efflictum!* ita enim ex vetuſtiſsimis membranis correximus, & edemus. Aſinaria, vt in libris melioribus exſtat.

Iam quidem hercle ad illam hinc ibo, quam tu propediem,
Niſi quidem illa ante occupaſsit te, effliges ſcio.

Poſtremo eo loco.

Sed quis hic eſt, qui recta platea curſũ hîc tẽdit ſuũ.

audiendi mss. Langij & tuus, in quibus: *curſum huc contendit ſuum.*

Capvt II.

Suſum. Accipe me mors. Hillum. Cenſuræ pluſculæ in hanc fabulam.

PROCEDAM porro, & tenui fabellæ, vt nunc res eſt, tenuem opellam meam, quam exorſus ſum, perfectam & abſolutam dabo. incipit Scæna,

Audire vocem viſa ſum ante ædis modo
Mei Lampadiſci ſerui. LA. non ſurda eſt hera,
Recte audiuiſti.

vel ſententia poſtulat, *non ſurda es hera:* & accedunt tamen ſuffragia librorum veterum. Sub finem,

Quid nunc ſupina ſic iam cælum conſpicis.

in Langianis, *ſus iam:* emendaueram, *ſuſum.* cum poſtea vidi coniecturam meam probari a vetere codice tuo. verſus tamen poſcere videtur, *ſuſum in cælum conſpicis*, quod in edi-

tionibus aliquot veteribus exſtat. *Suſum* & *ſurſum* promiſcue vſitari, admonitione non indiget: alij hoc iam dudum egerunt, Scæna, *Rem elocuta ſum.*

Recipe me ad te mors amicum, & beniuolum.

Plane rectius Langiani, *Accipe me.* nam id verbum hoſpitijs & inuitationibus conuiuiorum ſeruit, vnde illa vulgata, *lepide accipere, pulcre acceptus.* & hic adoleſcens ad mortem tamquam in hoſpitium deuorti ſe velle ait. Scæna, *Niſi quid mihi.*

Nam & intus paueo & foris formido, ita nunc
Vtrobique me metus agitat. illo ſunt homines miſere
Miſeri.

Elegantem gnomen, ni fallor, reſtitui minimiſsima mutatione. *hillo ſunt homines miſere miſeri.* Ancillulæ ciſtellæ amiſsione periclitanti in mentem venit quantilli homines ſimus, & quam nihilam ob rem ſępe ſumme miſeri. *Hillum,* res nihili. valde mihi hoc placet, & cum ſequentia conſidero, vix eſt vt aliter poëta ſcribſerit. Scæna, *Quid hoc negotij eſt.*

LA. gaudeo
Tibi mea opera liberorum eſſe amplius DE. etenim non placet,
Nihil moror aliena mihi opera fieri pluris liberos.

videtur aptius & ſenſui conueniẽtius, *ſet enim non placet:* auerſatur. n. verba ſerui. tametſi nihil affirmo nimis, hic quidem.

CAPVT III.

De fragmenti cuiuſdam ex hac fabula propria ſede diuinatio. Impera, ſi quid eſt opus. Lectio vetus defenſa.

ADDVCIT Nonius ex hac fabula cum alia multa, tum hæc quoque. *Malum aufer, bonum mihi opus eſt.* quæ hodie ſi quæras, operam luſeris. nec mirum, tam miſere mutilato & diſiecto in poëmate. Ego tamen cum ſuſpicione neſcio quid repperiſſe me credam, tacere nolui. nam ſcæna, *Niſi quid mihi*, lacunam deprehendiſſe me puto ijs verbis.

HA. Quis me reuocat?
LA. Bona femina & malus maſculus volunt te.
HA. poſtremo ille
Plus qui vocat ſcit quid velit, quam ego quæ vocor. reuortor.

nam certe *poſtremo* illud quo referatur non habet. Vide ſis ergo ſi apte illa huc interponi poſsint, & fortaſſe debeant. vt ancillula ad ſeruuli verba alludens & ſuam fortunam, quã e mala meliorem fieri optabat, reſponderit, *Malum aufer, bonũ mihi opus eſt. poſtremo, ille, &c.* certe ſolet eo modo Plautus, & huic loco venuſtas permagna acceſſerit. Eadem ſcæna parum liquido a viris doctis hæc intelligi video.

Iſthuc ago atque iſthic mihi cibus eſt quod fabulare.
Sed inter rem iſtam agendam heræ huic reſpondi quod rogabat:
Nunc ad te redeo, ſi quid eſt opus dic, impera: & tu Quid quæritabas?

& leuiter ab interpunctione laborant, quam muta. *ſi quid eſt opus dic, impera & tu. quid quæritabas?* Ancillula alias res agere ſeruum dixerat.

reſpondet ille nihil eſſe minus. nam ſe illi operam vel maxime dare, tantum heræ ſuæ interpellanti obiter reſpondiſſe; nunc ad illam reuorti: diceret quid vellet, & imperaret ipſa quoque, tamquam altera hera ſi eſſet. Hæc ſententia eſt, & caue hinc amouendum árbitreris illud, *heræ*: in quo loci lepor & acumen eſt: & elegans genus dicendi obſerua, qua iubent *imperari* ſibi, qui promtos & paratos ſe ad beneficium dandum oſtendunt. Aulularia. *Bonum habe animum Euchio, Dabitur, adiuuabere a me, dic ſi quid opuſt, impera.* Et ſuperius eadem fabula. *Da mihi operam. Me. tua eſt. vtere, atque impera ſi quid vis.* illa autem, SI QVID EST OPVS, ſollemnis formula eorũ eſt, qui ſe paratos prōptoſq. ad omnia alterius cauſſa faciẽda ſignificant. ad Atticum XIII. XLIX. *Phameæ cauſſa volebam. Erat enim ſi meminiſti, in conſulatus petitione per te mihi pollicitus, ſi quid opus eſſet: quod ego perinde tuebar, ac ſi vſus eſſem.* Scæna vltima legitur.

Quid hoc negoci eſt, quod omnes homines fabulantur per viam.

Concinnius in vetere libro tuo per vias. ſupra *Anum ſectatus ſum clamore per vias* Epidico. *Fit concurſus per vias.*

CAPVT IV.

Cis. Alia res. Summa ope. Pueri a veſte. Dies dubius. Cena dubia. Accenſus amicæ. Grues. Nonius multoties & poëtæ apud eum veteres correcti. Cicero ad Atticum emaculatus & declaratus.

NONIVM huc quoque arceſsā, qui faſtigium imponat his quęſtiunculis, ſcriptorem obſtrictum tuo beneficio nuper N. Faber, ſed patere me venire in partem aliquam laudis tuæ.

In Tangere.

Turpilius Demetrio. At etiam ineptus meus mihi eſt iratus pater. Quia ſe talento argenti tetigi veteri exemplo amanti. Item Leucadia. Hoc quæro ignoſcere Iſthic ſolent, necis minoris noxia Serū, ſi forte quaſi alias res vini cauo.

Primum cuiuis grammatico facile ſit reſtituere, *amantium*. vt expleatur octonarius iambicus; iambicus, inquam, aliter quā placet amico tuo. cuius cauſſa ſerio mehercule gaudeo, non viuere hodie Orbilium. nam viueret, profecto iſti emendatori in mundo virgæ eſſent, qui tā aperte in proſodia nihil videt. Me quidem niſi illi digiti dimetientem fallūt, duo octonarij exeūt, ſi ſcribas vt ille ex editionibꝰ reſcribit.

At etiam ineptus es. meus mihine eſt iratus pater,
Quia ſe talēto argēti tetigi, veteri exēplo amantium?

At iſte ex iābicis bonis cōcinnauit trochaicos non bonos, & verſus lepidiſsimos illepide deformauit. Verū vt dixi, hoc cuiuis facile fuit; alterum nō ęque, & excercuit ſane magnos viroſis locus. lego minima mutatione,

Hoc quæro, ignoſcere
Iſthic ſolent ne cis minoris noxias:
Herum ſi forte, quaſi alias res, vinis tago.

Quærit nequam ſeruus an ignoſci ſoleat mi-

noribus peccatis : puta, inquit,ſi herum circũduxero vino, & quaſi alias res parum honorifice tractauero. *Cis*, hoc loco ſignificat *poſt.* vt in Moſtellaria , *Cis paucas tempeſtates*. *Alia res*, in contemtu ponitur etiam Terentij Eunucho , *alia res eſt*. In Veſtiſpici.

Afranius Vopiſco. Noui non inſcituram ancillulam veſpere & veſtiſpicam.

Emendo , *non inſcitulam ancillulam*. ita Mercatore Plauti, *ſcitum filum mulieris*. Veſtiſpicam autem quam hîc Afranius dicit, aliter latini a veſte vocant. vt pueros a potione, a ſupellectile, a pedibus, a rationibus. Oſtendit lapis Romanus.

M. Vlpio. Aug. lib. Phædimo
DiuI. Traiani. Aug. A. Potione
Item. A. Lagunae. &. Tricliniarch
Lictori. proximo. &. A. Comment
Beneficiorum. Vixit. Ann. XXVIII
Abſceſsit. Selinunte. Pri. Idus. Augus
Nigro. & Aproniano. Cos.
Reliquiæ. treiectæ. eius
III. Nonas. Febr. ex. permiſſu
Collegij. Pontificum. piaculo . facto
Catullino. &. Apro. Cos
Dulciſsimæ. memoriae. eius
Valens. Aug. Lib. Phedimianus
A. veſte. Ben. Mer. Fecit.

In Arci.

Varro de vita P. R. lib. IV. Eoque pecuniam magnam conſumſiſſet, quod arci, quos ſummopere fecerat, feſſi pondere, diu facti, celeriter corruiſſent.

Legerim,

Legerim, *quos ſumma ope refecerat. Summa ope* valet induſtrie, diligenter. In Bacchari.

Sentra Nuncijs Bacchijs. Ita obſoletum ſono
Furenter ab omni parte bacchatur nemus.

Verius cenſeo, *Ita oppletum ſono*. Paullo ante hunc locum verba Varronis lege, *Quo nobilius eſt Philippeum quod accipimus, quam quod bibimus; tum alterũ abdamus in bulgam, alterum in veſicam.* male enim vulgatur, *in quo*, &, *addamus*. Sed Santra in ijſdem Nuncijs laudatur in Expergo.

Extemplo exite vadit qua genitrix & omnis vocis
expergit ſono.

Contaminate, o dij! neque præſto me verum ſuſpicione attigiſſe, valde certe probabiliter repono,

extemplo exit, euadit pia
Genitrix, & omneis vocis expergit ſono.

Euadit, eſt ἐκβαίνει, egreditur. Vt Salluſtio, *Ni Marius ſigna inferre, atque opido euadere properauiſſet.* In Mollitudo.

Varro Papiapapa, περὶ ἐγκωμίων. Sigilla iumento impreſſa amoris digitulo, veſtigio demõſtrat mollitudinem.

Scribo, *impreſſa primoris digituli veſtigio demõſtrãt m.* Si, inquit, iumentum habitius primore digito preſſeris, veſtigij ſigillum relictum oſtẽdit mollitudinem cutis, ſiue corporis. In Pingue.

Pingue poſitum pro impedito & inepto.

Sic Nonium loqui voluerunt librarij: at ipſe,

niſi me omnis diuinatio fallit, voluerat poſteris relinquere, *pro imperito.* & hoc res clamat. Ita idem paullo ante ſcribſerat. *Permittere, pro mittere, incitare.* iſti tamen buccones dictiones coniunctim exararunt, *Permittere, promittere:* imperite. In Bellum.

Varro ταφῆ μενίππου. *Diogenem litteras ſciſſe dum vſioni quod ſatis eſſet, núc quod etiam acta bellorum hominum.*

Poſteriora melius in mss. vt annotarunt doctiſsimi viri, *tum quod etiam acroaſi b.* Vt dubitari non poſsit, quin ſcribſerit Varro. *D. l. ſ. tum vſioni q. ſ. e. tum quod etiam acroaſi bellorum h.* Ait Diogené eos progreſſus in litteris habuiſſe, quibus & ſibi vſui eſſe poſſet, & hominibus politis voluptati. In Curriculus.

Varro epiſtola Iulij Cæſaris. Quem ſimul ac Romam veniſſem, mihi attigit aures nuncius; extemplo eas in curriculum propere contuli pedes.

Reſtituo, *veniſſe, mihi* . & paullo poſt, *extemplo meos.* &, quod mireris in epiſtola, duo trochairi ſeptenarij ſunt. ſed imitatio eſt veteris poëtæ; vt etiam illud principium epiſtolæ ad Atticum XLVII. libri, XIII. *Poſteaquam abs te Agamemno, non vt venirem (nam id quoque feciſſem, niſi Torquatus eſſet.) ſed vt ſcriberem tetigit aures nuncius, extemplo inſtituta omiſi, ea, quæ in manibus habebam, abieci; quod iuſſeras edolaui.* nam verſum integrum ex tragœdia veteri Ennij ſiue alterius cuiuſdam vſurpauit verbis ſuis inuolutum.

Poſteaquam abs ted Agamemno tetigit aures nuncius.

Itaque ludens ipſum Atticũ vocat Agamemnonem, non Attici ſtatorem, vt putauit ὁ μακαρίτης Boſius; qui etiam nõ recte corrigit, *nuncijs*. ſed non ideo iuſultandum manibus magni viri, & cui hæ ipſæ epiſtolæ plane Atticæ vitam & ſalutem debent. eadem formula Plautus vſus eſt Bacchidibus.

Nam illud animus meus miratur, ſi a me tetigit nuncius,
Quid remoratur?

In eodem Nonio Pacuuij verſus adducitur.

O multimodis varie dubium & proſperum copem diem!

in quo obſeruo, *diem dubiũ* dici pro auſpicato & felici: quaſi in multis gaudijs quid prius quid poſterius ſit neſcias. Inde opinor, quod cenam dubiam Romæ dicerent, quæ opipara eſſet, & vario apparatu affluens: vnde paraſitus Terentianus ſanequam facete, vt mihi videtur, rogatus quid eſſet cena dubia; *vbi tu*, inquit, *dubites quid ſumas potiſſimum*. Etiam illud a Varrone honeſte dictum Seſquiulyſſe.

Qui ſeſe in ganeum accenſum coniecit amicæ.

Nam interpretor *accenſum amicæ*, qui in ſeruitium & famulatum meretricium amoris ergo deſcendit, & fanda nefanda omnia libidinis cauſſa patitur, aut facit. neque neſcio aliter

accipi poſſe: ſed profecto meum hoc argutius eſt, & Varrone dignius. accenſi autem Romæ munus qua vrbanum qua caſtrenſe,

Omnibus & lippis notum, & tonſoribus eſt iam.

Addam nihilo grauius aliud. homines longos παροιμιωδῶς *grues* dictos Lucillius videtur innuere. *Longior hic quam grus.* & manifeſtiſſime Laberius Fullonicis, *Vtrum tu hunc gruem Balearicum an hominem putas eſſe.*

IANI GVLIELMII IN PLAVTI EPIDICVM QVÆSTIONES.

I. G. PETRO PITHOEO IC. S.

ALIA alijs pulcra ſunt, P. Pithœe: mihi longe pulcerrimum videtur, doctrina & virtute claros viros beniuolentia & amore coniunctos habere. &, narra mhi, Pithœe, ſed tua fide, ecquid verius aut honeſtius, quã cum quibus iudicio & ſtudio conſpires, cum ijſdem animorum quoque & amorum glutino coaleſcere velle? Itaque cum in omnes doctos tenera ſum & propenſa animi affectione, tum in eos propenſiſsima, qui ſtudia ſua vtilitati publicæ deſtinarunt. cui cum tu non deſinas munuſcula in dies plura maioraq. elargiri de theſauris bibliothecæ tuæ, iamdiu me amatorem repperiſti. Neque huc eunti & hoc ipſum ambienti negauit ſuas ad te litteras Io. Metellus amicus noſter, vir eruditione & humanitate ſingulari præditus: quibus aditus & tamquam feneſtra aperiretur ad familiaritatem tuam mihi Lutetiæ nouicio, non inquili-

no ſolum. Vbi licet te non offenderim, legatione publica ſummo cum honore tuo in Aquitania attentum, tamen quin eæ me litteræ in tuorum numero poſuerint, dubitare non poſſum; certe non debeo. ea comitatis tuæ fama eſt. Sed eodem aliud præterea vinculum vt a me accederet, hæc ad te ex Epidico Plauti tranſcribſi, obſeruata mihi ſuperioribus diebus, dicam etiam probata, ſi probari tibi ſenſero: cuius in hoc genere ſerium acumen Subſeciuæ animaduerſiones tuæ primum, tum alia in rempub. beneficia ita oſtenderunt, vt reliquarum lucubrationum tuarum exſpectationem incredibilem excitarint: quam ſuſtinebis tu quidem facillime; vincere vero, id quod fore auguramur, longe pulcerrimum erit, & iſta virtute perſpecta tua digniſsimum.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI EPIDICVM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Diſſatigari. Quid captiuorum. tu, blandientis. I numero. Epidicus corrigitur pluries.

EPIDICI prima Scæna nuper admodum in omnibus libris erat,

TH. neſcio ædepol quid tu timidus es.
Trepidas Epidice, ita voltum tuum videor videre commeruiſſe,
Hinc me abſente, in te aliquid mali.

Non ferri hæc poſſunt, ait interpres; & me hercule ego quoque: non eadem tamen via ad emendationem graſſor. Litterulam vnam extero, & pura puta Plauti cetera ſunt. *ita voltum tuum video. videre commeruiſſe Hic, me abſente, i.* vt pallorem tuum video, inquit, videris malum culpa tua quadam, quam abſente me contraxiſti, in mundo habere. *Hic*, diſertim Langiani, non cum vulgo, *hinc.* Scæna, *Rem tibi ſum.*

Is eſt amicus, qui in re dubia re iuuat, vbi re eſt opus.

Mss. *qui in re dubia opere iuuat.* Fortean diuidenda vox, *ope, re,* quamquam vulgata etiam lectio admodum quam concinna eſt. Sequitur ibidem.

Quin edepol egomet clamore defatigor, differor,

Langij, *diſſatigor.* nihil pote melius. Diſſatigari, hac illac creditorum vocibus & clamoribus fatigari eſt. Sed hæc tenuiora, illud maioris momenti. Scæna, *St. tacete.*

Arma referunt, & iumenta ducunt. PE. nimis factum bene!
Tum captiuorum quid ducunt ſecum? EP. pueros, virgines.
Binos, ternos.

perſonas perperam collocatas eſſe: quas qui me audiet, ita commutabit. *PE. nimis factum bene! EP. Tum captiuorum quid ducunt ſecum? pueros, virgines. Quid* pro quantum aut quammultum, vſurpatum a noſtro hoc Rudente quoque, *Quid illic eſt Sceparnio hominum ſecundum litus?* & Terentio Andria. *Quid turba eſt apud forum? quid illic hominum litigant.* neque hanc coniecturam, niſi imperitus, quiſquam aſpernabitur ſcio. hoc ſcribſeram: cum in edito veteri Brixienſi liquido ſic repperi. quod diſsimulare nolui fidei meæ cauſſa. Sequitur,

Filios ſuos quiſque viſit. PE. hercle rem geſtam bene.

Bene Fabri codex, & Langij, *viſunt.* etiam illud, quod editur.

Liberare quam volt amator. quis nam is eſt? inquit altera Illi.

rectius in Fabri, *quis tu is eſt?* neque ſine cauſſa id valde probat eruditiſsimus ille amicus noſter. *tu,* blandientis interiectio eſt. Eunucho. *tam infandum facinus mea tu ne audiui quidem.* Verſu huius ſcænæ extremo,

PE. Sequere tu intro. EP. i, numera. nihil ego te moror.

Corrigo, *i numero*. tametſi non neſcius ſum, de argenti numeratione explicari. verum profecto noſtrum hoc magis Plautinum eſt. *I numero:* hoc eſt, celeriter, ſtatim. & exempla ſimilia multa in promtu ſunt. Sed paullo ſuperius non recte habere etiam illa videntur,

EP. quid tu autem Apacides
AP. Quid ego iam, niſi te commentum nimis aſtute intelligo.

Traiectis verbis commodius legemus, *Quid ego? niſi iam te c. &c.*

CAPVT II.

Aliquanta ad hanc fabulam cenſuræ.

MVLTA in Plautum ab oſcitantibus librarijs vitia ſcripturæ inuecta; multa etiam perperam ab iiſdem geminata ita libris omnibus inueterarunt, vt prope religio quædam viros modeſtos teneat, ea ſollicitare, quæ tãto temporum interuallo locum tamquam legitima vſucapione ſibi vindicarunt. Et is ſum, qui dubia tangere non audeam; manifeſta falſi quamvis audacter iniuſta poſſeſsione deijcere. quod opinor fieri debere illis verſibus, ſcæna *Non oris cauſſa.*

Quid fit? AD. dij deæq. te adiuuant, res proſperæ
PE. Omen placet. AP. quoi homini omnis ſuppetant res proſperæ.

Duas has voces, *res proſperæ*, e ſecundo verſu in primum irrepſiſſe,prope dixerim ſcio: certe & offendunt ingrata repetitione, & ſi abſint venuſtiſsime cõſtabit & ſentẽtiæ vis & verſuũ numerus: quos ſic colloco.

Quid ſit? AP. Di deæq. te adiuuant. PE. Omen placet,
AP. Quoi hominid omnis ſuppetunt res proſperæ.

Scio virum magnum ad medicinam faciendam ante nos accurriſſe: ſed eum ea ex porta, qua non opus erat, occurriſſe, hoc quoque ſcio. Scæna, *Caue præterbitas.*

MI. Volo te verbis pauculis
Si tibi moleſtum non eſt. PE. non edepol ſcio
Moleſtum non eſt mihi,ſi dicis quid velis.

Verſu ſecundo non eſt in Langij *non*; quod tamen non eijcio. diſtinctionem ſolam aliter colloco.

Si tibi moleſtum non eſt. PE. non. edepol ſcio;
Moleſtum non eſt mihi,ſi dicis quid velis.

Quærebat miles an moleſtum eſſet operam ſermoni ſuo dare. non eſt, ait ſenex: & ſecum, *edepol ſcio*; quid me velis ſcilicet. deinde ad militem conuerſus, *Moleſtum non eſt* &c. Scæna, *Si quid eſt homini.*

MVL. Quid ſi adeam? PER.
Haud ſcio an congrediar,ſi hæc ea eſt.

Nonius hîc notat a Plauto ſcriptum *Cõgredias*: ſed quid ſibi eo velit, vt fatear quod res eſt, neſcio. niſi tamen libri mendoſi ſunt, & ſcribendum, *Congrediam.* de quo non admodum laboro. neque ſane res tanti eſt, vt laborem.

Extremo verſu.

MV. Remigrat animus nunc demum mihi

Sambuci codex, *domum.* quam probem rogas? ego vero adeo, vt antea coniectura ſic mutauerim. Scæna extrema.

- PE. quid eſt negoti. EP. iam ipſa res dicet tibi.
Abi modo intro. PE. hei non illuc temere'ſt.

Paullo aliter Langij, *tibi Ibi modo intro. PE. ei non.* Vnde in mentem venit, forte perſonam traijciendam, *Ibi modo intro ei PE. non.* vt ſeruus nutu & geſtu domum Periphani demõſtrarit. de errore tralatitio *ei* vel *hei* ſcribendi pro *i*, diximus iam, & dicemus plura inferius.

CAPVT III.

Gradibus grandibus, celeri curriculo, pedibus podagroſis eſſe. I, ſi itura es. Abſceſſi ſolens. In eo articulo. Hæc fabula declarata, correcta. Fragmentum indidem falſum adduci oſtenſum.

PRIMORE Epidico omnes libri habent,

Di immortales infelicent, vt tu es gradibus grandibus!

Lambini editio, *vt tu is.* ſi e mss. probo; aliter mutari neceſſe non eſt. ita Sticho dixit, *celeri curriculo eſſe.* & Mercatore, de tardo ambulatore; *podagroſis pedibus eſſe.* Fauet tamen Lambino fragmentum e Clitellaria, quod Feſtus conſeruauit in Vegrande. *Qui niſi iteres nimium is vegrandi gradu.* Emaculo leuiter, *Quin is, ſi itura es; nimium is vegrandi gradu:* nam cohortatio eſt ad accelerandum

gradum: in qua formulam inſtandi obſerua non proculcatam. *i, ſi itura es.* ad quem modum illud eſt Caſina. *Quin agitis hodie, quin datis, ſi quid datis.* & ibidem. *Date ergo, datura vmquam ſi eſtis hodie vxorem.* Scæna, *St. tacete.*

————occœpere aliæ mulieres
Duæ poſt me ſic fabulari inter ſeſe, ego abſceſſi ſolens
Paullulum ab illis. diſsimulabam me harum ſermoni operam dare.

Solens ait, hoc eſt de induſtria, ſciens & prudens, non caſu & fortuito. ſic Truculento. *Mala femina es. AS. ſolens ſum. ea eſt diſciplina.* Amphitruone paullo aliter. *Si dixero mendacium, ſolens meo more fecero.* Qui maluerunt, *ſilens*, eos ſiluiſſe hîc mallem, & fuiſſet hoc prudentiæ eorum. Sed ornamentum luculentum excidit hac fabula, ſcæna *Caue præterbitas,*

PE. immo hæc ea eſt.
Nam ſeruum miſi qui ſectari ſolet
Meum gnatum, ipſe hanc emit fidicinam. MI. hem iſthic homo
Articulatim concidit te ſenex tuus
Seruus.

Editi vetuſte, *ipſe hãc meo articulo emit fidicinam.* Non dubito, quin veriſsime corrigam, & verſus reconcinnem,

Nam ſeruum miſi, qui ſectari meum ſolet
Gnatũ, ipſe hanc in eo articulo emit. MI. hem. i. h.

illud, *fidicinam*, gloſſema manifeſtum eſt. Hoc dicit ſenex, iuſsiſſe ſe ſeruum ſuum emere Acropoliſtidem; ab illo hanc eo ipſo articulo temporis, quo iuſſus erat, emtam eſſe. ad illa

verba miles alludens, articulatim ait ſenem a ſeruo conciſum eſſe. non diſsimiliter Adelphis Terentij eſt. *Vt in ipſo articulo oppreſsit!* Scæna ſequente parua labes ſententiam obſedit. nam editur,

Id ego experior, quoi multa in vnum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulſant ſimul, multiplex ærumnam exercitam habet paupertas,
Pauor territat mentem animi.

Legerim, *multiplex ærumna me exercitam habet. paupertas, pauor territat mentem animi.* Addam poſtremo, ex hac comœdia fragmentum adferri a viris doctis, quod non eſt. nam legitur Ciſtellariæ principio,

In latebras abſcondas pectore penitiſsumo.

Vbi fortaſsis ex Cariſio reſcribendum eſt, *pectoris penitiſsume.* vt dixerit, *pectoris latebras.*

CAPVT IV.

Moliri.maiore niſu. Bene eſſe. Properàm. Mimum cōponere,condiſcere. Multa Petronij Arbitri correcta, explicata.

NON de nihilo Petroniū amas, P. Pithœe, vernulæ & latinæ vrbanitatis putiſsimum fontē. nam Floralia ſacra quod celebrat ſine fuco atque fallacijs, more Romano, non tam ſeueri eſſe debemus, vt quod in alijs ferimus, quia neceſſe eſt; in hoc vno damnemus, qui illis

apertior fortaſsis eſt, at nõ inhoneſtior. Recte tu, qui huic Arbitro æquiſsimus arbiter fuiſti, & ſententia tua vitam illi ſalutemq. reddidiſti. iuui & ego, quod potuit vnica inſpectione: de quo arbitrium tuum facio, cum bona ſpe ea æquitate, qua ſoles, hîc etiam te iudicaturum. Non longe ab initio fragmenti.

Nimirum in his excitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere.

Omnino verius, *Minimum in his.* Nihil, ait, aut minimum peccare magiſtros; plurimum parẽtes. nam ſequitur. *Quid ergo eſt? parentes obiurgatione digni ſunt* . qui locus huius coniecturæ ſat idoneus fundus eſt. Sequitur venuſtiſsimus εἰκών.

Sicut ficti adulatores cum cenas diuitum captãt, nihil prius meditantur, quam quod putant gratiſſimum auditoribus fore; nec enim aliter impetrabunt quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint; ſic eloquentiæ magiſter niſi, tanquam piſcator, eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe prædæ moratur in ſcopulo.

Non tam curioſus ſum, vt hîc de macula ſuſpicari audeam. ſed variant mire libri ſub finẽ tamen. alij enim, *moriatur*, alij *moritur*. neſcio an vlli, *moratur*. Vide ergo ſi remotius verbum excidit, & fortaſſe fuit, *ſine ſpe prædæ in ſcopulo molitur.* Confirmare poſſum, ipſum Arbitrum, ſi quærat, aptius verbum in latina lingua non reperturum, Moliri n. operari, & induſtrie aliquid conari, aut tractare eſt. vt de multis Io-

cis vel vnius Virgilij conſtat. Aeneidos III.

——— claſſemq. ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Item *XII.*

———ſaltuq. ſuperbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.

Et Georgicis dixit, *Moliri inſidias auibus*: ita videlicet, vt hîc Petronius, *piſcibus*. Vtitur iterũ inferius pari venuſtate; *Deinde ſi gratiam a legato moliebantur, quid ita omnia feciſti, vt quos tuebaris abſconderes.* Sequitur non multò poſt.

det primos verſibus annos,
Mæoniumq. bibat felici pectore fontem.
Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

Ingenioſe de hoc loco & acute, vt omnia, amicus meus: ſed nihil verius arbitror ea lectione, quam habet Sambuci codex, *Socratico plenus grege, mutet habenas.* Mutare habenas iubet adoleſcentem Philoſophia imbutum, & e curriculo poëtarum in oratorium tranſcendere. Paullo inferius lacunula ſermonem videtur interrumpere.

Diuinam ego putabam. & ſubinde, vt in locum ſecretiorem venimus centonem anus vrbana reiecit.

& potuerunt hinc excidiſſe duæ ſyllabæ, quibus repoſitis omnia pulchre concinunt, *& ſubſequor. inde.* tametſi nihil admodum affirmo. Pluſculis verſibus poſt ea eſt,

Mox ſublatis fortius manibus longe maiore riſu clamauit.

Opinor, vere reſcribſi, *maiore niſu*: hoc eſt, conatu, impetu vehementiore. Tertia hinc pagina.

Tacentibus adhuc nobis & ad neutram partem aſſentationem flectentibus.

Sincerius arbitror, *aſſenſionem flectentibus*. Longe hinc in Trimalcionis verſu,

Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet orcus.
Ergo viuamus, dum licet eſſe, bene.

Male interpungitur vulgo, & plane tollenda ὑποστιγμὴ poſt *eſſe*. *Bene eſſe*, γενικῶς vitam omnem voluptariam complectitur. Bacchidibus Plauti,

Vbi tu lepide voles eſſe tibi, mea roſa mihi dicito,
Dato, qui bene ſit. ego vbi bene ſit tibi locum lepidum dabo.

Capteiueis, *Scis bene eſſe, ſi ſit vnde.* Origo formulæ, quod cui omnia ſecunda vellent, ei precarentur, bene eſſe. Pars lapidis Romani. BENE. SIT. FILIIS. FILIABVS. MEIS. QVI. ME. BENE. COLVERVNT. Hoc tacuiſſem; quid enim vulgatius? niſi locum ſine cauſſa peruerti viderem. ſententia gemina eſt illi Narbonę ἐπιταφίῳ marmori, AMICI. DVM. VIVIMVS. VIVAMVS. In Eumolpi verbis pro Gytone & Eucolpio,

Me vt puto hominem non ignotum elegerunt ad hoc officium, petieruntq. vt ſe reconciliarē aliquādo amiciſſimis.

maculam agnoſco, & corrigo, *Me vt pote hominem non ignotum*. eam cauſſam adfert, cur ipſe electus ſit patronus miſerorum, quoniam vſu

&

& familiaritate coniunctior ſit, & fidei iam perſpectæ. in naufragij deſcriptione,

Et illum quidem vociferantem in mare ventus excuſsit, repetitumq. infeſto gurgite procella circumegit, atque hauſit: Tryphænam autem prope iam fideliſsimi repuerunt ſerui, ſcaphæq. impoſitam cum maxima ſarcinarum parte abduxere.

Plane cenſeo litteram aberraſſe, & emendandum eſſe. *T. a. properam fideliſsimi rapuere ſerui.* Properam & propere quis neget dixiſſe veteres, cum ijdem vſitarint promiſcam & promiſcue, protinam & protinus, perperam, palam, ſexenta alia? neque ſententia patitur aliud hoc loco. Deinde in apparatu fallaciæ, qua captatores aſtute capit Eumolpus,

Quid ergo, inquit Eumolpus, ceſſamus in vnum componere? facite ergo me dominum, ſi negotiatio placet.

Legebam, *ceſsamus mimum componere.* & non ſum confidens admodum, audeo tamen aſſeuerare, nihil verius Apollinem Delphis profatum vmquam. Primum perſeuerat in eadem tralatione, quam cœperat paullo ante. *Vtinam quidem ſufficeret largior cena, id eſt, veſtis humanior, veſtimentum lautius* (ſic lego; non vt editur, *latius*) *quod præhiberet mendacio fidem. non mehercule peram iſtam differrem, ſed continuo vos ad magnas opes ducerem.* Ad hæc verba cum Eucolpius reſpondiſſet adeſſe ſcænam, qualem optaret; ſubijcit ſenex, ergo quid ceſſamus mimicam noſtram fabulam componere. quam illico cōponunt, & in Eumolpi verba iurant, atque in

ſeruilem modum ficti dominum illum conſalutant; tum ea quæ is proponit de opulentia & orbitate ſua, vt legitima verba mimi, pariter condiſcunt. nam ſic mox legendum arbitror, *condiſcimus*; nõ, vt referunt vulgarij codices, *elatumq. ab Eumolpo filium pariter condicimus.* Docet enim fabulam poëta, vt hîc Eumolpus; diſcunt actores, & diſcunt ſimul, dum actionẽ periclitantur. quo facete alluſit more ſuo Plautus noſter Pœnulo. nam cum Agoraſtocles aduocatos docere vellet modum circumueniendi lenonis, reſpondent illi,

Omnia iſthæc ſcimus iam nos, ſi hi ſpectatores ſciãt
Horũc hîc nũc cauſſa hæc agitur ſpectatorũ fabula,
Hoſce ſatius eſt docere, vt quando agas, quid agas, ſciant:
Nos tu ne curaßis, ſcimus rem omnen, quippe omnes ſimul
Didicimus tecum vna, vt reſpondere poßimus tibi.

Sic ergo hîc quoque legendum. ſi quis etiam nunc dubitat, is hunc verſum eiuſdẽ Petronij conſideret, tum nolit eſſe Homeri μαργείτης.

Grex agit in ſcæna mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, dißimulata perit.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI BACCHIDES QVÆSTIONES.

I. G. FRANCISCO PITHOEO IC. S.

PEREGRE aduenienti tibi, Fr. Pithœe, pro cena Queſtionem offero. Verum, ſi bene te noui, non illa veterum aduenticia gratior aduentoribus fuit, quam tibi noſtra litteraria erit. cibus enim tuus libri & litteræ ſunt; quibus quotidie animi cupidiſsimam famem non minus auide exples, quã ſcitamentis miluinã ſuam ganeones, qui macellorum annonam excandefaciunt. Si tamẽ hæc noſtra acerbiora tibi, & adhuc præcocia fortaſſe videbũtur, vtere quæſo ad rutam eorum pulegio amoris in me tui: cui pro crudis mitia, pro præcocibus ſat matura viſum iri ſpero, ſi cõdimẽti vicem tempus anguſtum prægustabis, & hæc me vno & quadrageſimo die, quam ornare cœpi, inferre cogitabis; neque tibi ſolum, ne erres, ſed omnibus quique præcedunt, quique ſequentur, vt cũ Plauto loquar, cœpulonis. Noſti autem quam hæc huiuſmodi conuiuatorum lenta & faſtidioſa ſit natio; præ quibus iam Sybaritæ ſubiti & imparati fuerunt: quos

aiunt amicos anno vocaſſe, vt curatius horno acciperent. at hi in annum proximum comiter inuitatos, in decimum, & quod excurrit, ſtruicibus concinnandis occupati, exſpectatione excruciant; vt pro longiore mora maius odiũ apponant, quo nobis cor & cerebrum penitus eradicent. vt iam elephanti citius pariant, quã iſti correctores vnam cenulam de alienis narthecijs depromant. Ego tenuiorũ arte vti malui, & vt illi, belli ſane homunculi, cum ornatu & ſplendore non poſsint, ipſa ſimplicitate & deproperatione gratiam captant; ita ipſe & ſpe omnium celerius inſtruere, neque miſſus plures inferre, ſed a promulſide & guſtu conuiuium tollere: vt, ſi placuiſſem, de eodem penu & armario ad ſatietatem tuam plura alibi oggererem; ſin, ne cum Catullo noſtro, & amicis tuis,

Vno continuo die perires.

Quod tamen ſic fiet, ſi hic nugator fabulari perget. deſino igitur ego, tu inter Bacchidas accumbe. quarum ſermo vtinam viſcus merus ſit, & ſic te deleniat, vt defæcata aut percocta parum, effugiant offenſionem tuam.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI BACCHIDES QVÆSTIONES.

Capvt I.

Fragmentum quod ad hanc fabulam adfertur emendatum. alterum gloſſemate liberatum. Quis ſit Pellio Plautinus. emaculatus Symmachus.

BACCHIDES Plauti fabulam mutilam hodie & truncam multis partibus circumferri cõpluria argumẽto ſunt. primum prologi & proœmij nihil, quod argumentum, vt ſolet, explicet, & in rem ipſam ſpectatorẽ inducat. tum in medio grammaticorum teſtimonia, quæ fruſtra quæras in ea quam nunc terimus; illa ab alijs quidem collecta, quibus tamen addi nonnulla a diligente obſeruatore poſsint. quale hoc eſt, in quod apud Donatum incidi,

Nam & ex mari timida ecce ego Pauitare.

quem locum vt omiſerunt ij, qui fragmenta comœdiarum Plauti collegerũt: ita ijdem perperam & mendoſe pleraque cetera ediderunt; quæ facile fuiſſet conſtituere. Adfertur ex Nonio in Modicum,

Quibus ingens in animo vtibile eſt modicum & ſine vernilitate.

quod rectius ſcribetur, ſi leuiter mutes, & in ſenarij legem reponas,

Quibus ingenium animi vtibile, eſt modicum &

ſine Vernilitate.

Nam ſentētia eſt, eos vtiliter ingenio ſuo vti, qui modeſti ſint, & laſciuia iuuenili non exultent. Ab eodem grāmatico adducuntur illa, in Limare. *Limaces viri, qui atterant & conſumant.* Verum dubium mihi nō eſt, quin Nonij interpretamentum ſint, non Plauti fragmentū hæc poſtrema, *qui atterant & conſumant*. Sed ea, quam ingredimur fabula, illud perobſcurum.

Etiā Epidicū quā ego fabulā æque ac me ipſū amo,
Nullam æque inuitus ſpecto ſi eam agit Pellio.

quis enim ille ſit Pellio, nemo hactenus eruit. Ego inueniſſe videor, fuiſſe P. Pollionē circa hæc tēpora comœdum minorū partium, & in artificio ſuo parū probatū famæ populari: quē hîc à Plauto tāgi veri diſsimile non eſt. Locus, quem ſignifico, Symmachi eſt, libro X epiſt. II. quem proponā, vt res liqueat, & ſimul macula indidē eluatur. *Magnis enim negotiis,* inquit, *itidē vt magnis comœdijs edecumati apponuntur actores. Non idem honor in pronunciandis fabulis P. Pollioni, quam Bauio* (emēdat recte vir doctus, *qui Ambiuio*) *fuit: neque par Æſopo Ethruſco fama proceſſit.* Corrigo & ego illi prætermiſſum, *Æſopo & Roſcio.* nā vt Pollio Ambiuij artificio vincitur; ita Roſcij, Æſopus: vtpote cuius e diſciplina in ſcænā proceſſerit, cum ante cunctis theatris exploderetur. de quo Cicero pro Roſcio Comœdo. Quid ergo? placet ne in Plauto reſcribi, *Pollio?* nō placet. nā vt Apellinē caſci illi enūciabant, quem nos Apollinem, & alia multa ſimiliter; ita eoſdem *Pellionem* extuliſſe, quem

poſterior ætas *Pollionem* verius eſt.

CAPVT II.

Luculentum cænum. Imperiũ inhibere, exhibere. ex cõpecto. Circumpectere, depectere. circumpectus. Præter Plautũ multa T. Liuij emẽdata. itẽ Petronius ſemel.

NON omnes meæ coniecturæ verę fortaſſe videtur omnibus: ne poſtulo quidẽ, ita vt videantur. Probabili cauſſa ducti ſuſpicionẽ interdum propono, de qua eruditi iudicent, ſententiam certã ne ego quidem feram. qualis hæc ſit Scæna *Pandite atque aperite.*

De me culpam demolibor iam & ſeni faciam palã:
Vt eum ex lutulento cæno propere hinc eijciat foras.

Verſus ſuadere videtur, vt corrigamus: *Vt eum ex luculento cæno.* eſt .n. thochaicus ſeptenarius. tum acute dictum, luculentũ cœnum pro meretricũ amœnitatibus & blãditijs, quæ in ſpeciem luculentæ & ſplendidæ; ſed vitam & famam, ſi in ijs volutere, collutulant. Scæna, *Nunc experiar.*

——iſthoccine hic pacto poteſt
Inhibere imperiũ magiſter, ſi ipſus primus vapulet?

Inhibere imperium, antiqua & germana latinitas: pro, imperio vti, imperare. & in eadem re, *imperium exhibere.* Caſina. *Patiundumſt, ſiquidem me viuo mea vxor imperium exhibet.* Sed *inhibere* a re nautica tralatum eſt; vbi inhibere remiges iubentur, cum curſum flectunt, aut corrigunt. vtitur hic noſter etiam Sticho.

vtrum Fontinali an libero
Imperium inhibere mauis? S A. nimio liquido
Libero.

Et ſæpe Liuius; tametſi aliquot locis exturbauerint nuperi correctores. vt hoc, libro III. ab Vrbe condita. *Et leniter agentibus reſponſum non redditur: imperio ſi quis inhiberet, & viros & armatos ſe eſſe reſpondent.* Ita Sigonius: ſed vetus lectio mutari non debuit, *imperium ſi quis inhiberet.* Paullo ſuperius. *Tentationemq. eam fore abolendi ſibi magiſtratus, ni conſenſu reſiſterent, imperioq. inhibendo in paucos præ ferocis animi conatus aliorum reprimerent.* etiam alius locus eſt eiuſdem libri, qui modo ad manum non erat. Sed quoniam caſus nos ad Liuium impulit, non voluntas: operæ erit ex eodem III. libro ἐν παρέργῳ pauca menda tollere, quæ nos tamquam ſpica neglecta poſt vberrimam multorum meſſem nuper ſublegimus. Primum in iugi diſcriptione.

Tribus haſtis iugum fit, humi fixis duabus, ſuperq. eas tranſuerſa vna deligata. ſub hoc iugo Dictator Æquos miſit.

Haud dubio rectius ſit, *Æquos emiſit.* Sequitur enim mox, *nudos enim emiſerat.*

Auide ruendo in libertatem, in ſeruitutem elapſos iuuare nolle.

Malim, *relapſos,* in qua ſcilicet ante quoque fuerat ſub regum dominatu.

Maneſq. Virginiæ mortuæ quam viuæ feliciores per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto ſonte, tandem conquierunt.

Manes, tantum mortuorum; vt viuorum, Genij. itaque non dubito quin verum ſit, *mortua quam viua felicioris.* quomodo poſtea apud ampliſsimum nobiliſsimumq. virum Augerium Busbequium in veteri eius codice diſerte ſcriptum vidi. Ante hunc locum eſt,

Iudicem illi ferre, vindicias ne ab libertate in ſeruitutem dederit,

Ita Sigonius coniectura, ſed non bene. nihil enim elegantius, non rectius tantum, veterum librorum ſcriptura, *ni vindicias ab libertate in ſ.d.* Prouocabat hac ſponſione ad iudicem Virginius Appium: eiuſmodi ſponſionis formula integra hæc eſt. NI. VINDICIAS. AB. LIBERTATE. IN. SERVITVTEM. DEDISSET. ita ſupra hoc libro, *Ni ita eſſet, multi priuatim ferebāt Volſcio iudicem.* Adijciam hæc quoque e libro V. eiuſdem Liuij.

Adeo quicquid tribunus pl. loquitur, etſi prodendæ patriæ diſſoluendæq. reip. eſt, aſſueſtis audire: quippe dulcedine eius poteſtatis capti qualibet ſub ea ſcelera latere ſinitis.

Hoc quoque a Sigonij ingenio. vv. ll. plerique; *aſſueſtis qui audire & dulcedine.* neque difficillimū verum ſuſpicione aſſequi. certe enim Liuius ſcribſit. *aſſueſtis Quirites audire & dulcedine.* Eodem libro.

Itaque clariſsimis viris ex compoſito præparatis ad petendum,

V.C. *ex conſpecto.* Scilicet, quia antiquā ſcribendi rationem ſequutus erat Liuius, *ex compecto,* Aliud eſt *circumpectus*, a *circumpectere*; quod ſi-

gnificat defrudare, circumuenire. Sic enim e veteribus libris in Arbitro legendum. *At miles circumpectus, dum deſidet, vt poſtero die vidit vnam ſine cadauere crucem, veritus ſupplicium, mulieri quid accidiſſet exponit.* male vulgo, *circumſpectus*, aut, *circumſcriptus*. Pectere, eſt multare. Plautus. *Os pugnis pectito.* Hinc *depectere, circumpectere*, malum aut infortunium alteri dare. Terentius, *Depexum te dabo.*

CAPVT III.

Parum fides. Satis conſilium, otium. Hunc eum. Manifeſtus mendacij. Eò. Multa Plauti correcta. & Silius Pœnicis.

SED ad Plautum reuertamur, cuius Scæna *Reddidi patri* hic verſus,

Poſtremo ſi pergis parum mihi fidem arbitrarier.

bene habet, neque opus eſt in ſano membro medicina. Sic Terentius Eunucho. *Forſitan hic mihi parum habeat fidem.* item Phormione. *Itane parum mihi fidem eſſe apud te.* nam ſic etiam membranæ meæ, quamuis nuper immutauerint critici. *Parum fides*, parua eſt: vt contra, *ſatis conſilium, ſatis otium*, multum & abundans. Ad Atticum XII. *Si ſatis conſilium quadam de re haberem.* ad Herennium auctor. *Vix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus.* etiam illud notandum, vt non vulgare, *fidem arbitrari*, pro habere. quod Appuleius imitatus Apologia I. pro ſe ipſo. *Agnocis Maxime rationem*

Platonis,quantum potui perſpicue explicatam, cui ego fidem arbitratus, cauſſam diuini morbi eſſe, cum illa peſtis in caput redundauit, haudquaquam videor de nihilo percunctatus, an eſſet mulieri illi graue caput. Scæna, *Petulans,proteruo.* ——*militis*

Paraſitus modo venerat aurum petere: hinc eum ego meis
Dictis malis his foribus atque hac repuli, reieci hominem.

Arbitror verius eſſe, *hunc eum ego.* Sic Cicero Academicis. *Iampridem ad hunc eum (ipſum me autem dicebat) quædam inſtitui,quæ ſunt magna ſane.* Scæna ſequenti.

Quam (malum) facile! quem mendacij prehendit manifeſto modo.

Prehendere mendacij, latine dicatur an non,nihil definio: certe inſolens eſt, & cuius exempla fruſtra quæras. Nam hoc loco vide ne fruſtra nitaris: quam enim facile vnã litteram omittere librarius potuit, cum ſcribere vellet, *quem mendacij prehendit manifeſtom modo!* Manifeſtus furti,mendacij,ſceleris, meræ lautitiæ ſermonis latini, & obuiæ paſsim. Litterulæ vnius omiſsio librarijs ſolens peccatum eſt,maxime ſi eadem præceſſerit; tametſi etiamſi hoc non ſit,tamen ſæpe properatione ſic labuntur. vt in his Silij verſibus libro Pœnicorum XIII.

Vna mora Æneadæ,poſtquam vox attigit aures,
Dum daret auſpicium vſque in certamina ductor.
Præuetitum namque & capital committere Martem
Sponte viris.

Leuiſsimum mendum vel pueri iſti correxerint facile, qui primoribus labris Romana deguſtarunt. Nam quid apertius, quam eſſe reſcribendum? *Dum daret auſpicium iuſq. in certamina ductor*. cum præſertim antiquiſsimi libri nihil varient. at quam hic ſe iactat emendator ille, qui nobis Vicetinas neſcio quas inficetias nuper obtruſit! ſcias eumdem eſſe, qui quæ ad Cenſorinum nuper leuiter ſcribſi, me docuit. nam hoc ipſe de ſe confirmat grauis auctor, & in eam rem humaniſsimos & amiciſsimos mihi homines M. Hittorpiũ & I. Baruiciũ teſtes facit, ſed abſentes, & inuitos, & certe ignaros. dicerem impudenter factum, niſi aliud dignius iſta virtute ellogium pararem. nunc manebimus improbi mendacij reliquum ordinem. Scæna, *Conſtringe tu te.*

Eo tu loquitatus ne es gnato meo male
Per ſermonem, quia mihi id aurum reddidit.

pauci intelligunt, quod dicam: neque magna res tamen eſt. *Eò*, inclamandi interiectio eſt hoc loco, quam nos ſcribimus, *Eho.* Itaque diſtinguendum, *Eho tu? loquitatuſne es*. Scæna vltima.

Quid nunc etiam redditis nobis filios & ſeruom? an ego
Experiar tecum vim maiorem?

Magis placent alij libri, *Experior tecum vi maiore*. Pro P. Quinctio Cicero. *Si quid in controuerſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo iure experiretur.*

CAPVT IV.

Sacerdos in Dianæ.eſt.Plauti hac fabula nonnulla declarata, correcta. locus eiuſdem cum Euripidi loco compoſitus.

MVLTA in poëtis menda carminũ dimenſio prodit, & ſagaci coniecturę tamquam viam pandit.illud ſcæna *Mirum eſt* ſilentio præteriturus eram.

Rogabis me vbi ſit? viuit. PI. nempe recte valet.
CH.Iſthuc volebam ego ex te percontarier.

ſed ſubſtiti, verſu priore offendente, quem vix eſt vt probare poſsis pedibus bonis eſſe Terentiano, aut alij harum rerum perito iudici.poſtea inſpecta diligentius ſentẽtia, & perpenſis iis quæ ſequuntur, vix dubitaui amplius quin reſcribendus ita eſſet.

Rogabis me vbi ſit. PI. viuit ne & recte valet?

Eripit enim ex ore ſermonẽ ſeruo adoleſcẽs, de vita & ſalute ſodalis cognoſcendi auidus. neque Chryſali verbum eſſe *viuit*, ſed Piſtocleri, ſatis aperte indicat is verſus qui hunc tertius ſequitur.

Quia illa inuenta eſt, quam ille amat, viuit recte & valet.

vt de hoc ambigi non poſsit, perſonam perperam collocari. nam qui non ferunt inuerti illud, *nempe*, per me legant,

Rogabis me vbi ſit. PI. viuit nempe & recte valet.

neque numeri hærent, ſi primum pedem acci-

pias amphibrachyn. Eadem perſonarum confuſio eadem hac ſcęna venuſtiſsimam elegantiam expulit.

Nam iſthic fortaſſe auro opus eſt. PI. Philippeo quidem.
CH. Atque eo fortaſſe iam opus eſt. PI. atque etiam prius.
Nam iam huc aduenict miles & miles quidem,
Qui de amittunda Bacchide aurum hic exigit.

Quantum mea ſententia eſt, penultimo verſu interſerendæ perſonæ ſunt hoc modo.

Nam iam huc aduenict miles, CH. & miles quidem!
PI. Qui de amittunda b. a. h. exiget.

nam illa, *& miles quidem!* ſerui mirantis & ſuſpenſi quo Piſtoclerus euadat, verba mihi videntur: vt apud Terentium Seipſum cruciante,

mille nummûm poſcit. CH. & poſcit quidem?

Si quis tamen pertinacior iterationem illam vehementiæ & ſignificantiæ facere contẽdet, cum eo pugnare nolo. Suum cuique pulchrũ; mihi hoc meum etiam verum eſſe perſuaſum eſt. neque tamen inficior, falli me poſſe, Scæna proxima.

Quid fecit? CH. quid non fecit? quin tu id me rogas?

Eandem ſententiam Euripides extulit Hippolyto, ſed in futuro.

ὦ κακὰ θνητῶν, συγεραί τε νόσοι,
τί σ' ἐγὼ δράσω; τί δὲ μὴ δράσω;

Eadem hac ſcæna hoc aliæ editiones rectius

habent, quam eæ quas vulgus putat emendatiſsimas,

Qui illic ſacerdos eſt in Dianæ Epheſiæ

ſubintelligo, *æde*. & *ſacerdos in æde*, pro ędis antiſtite merus ἀρχαϊσμὸς eſt: de quo quia multi monuerunt verbum non addam. illud autem ſcæna *Nunc experiar* quod vulgo legebatur,

Meretricem indigne deperit M N. non tu taces?
Atque acerrume ea eſt, abſorbet, vbi. quemque attigit.

caue quicquam arbitrêre ſincerius. meretrix comeſt & abſorbet amatorem, cum eum bonis & fortunis euertit. Moſtellaria. *Sine modo venire ſaluom, quem abſentem comes.* Viris eruditis & exercitatis in lectione optimorum ſcriptorum imponere potuiſſe *eſt* poſitum pro *edit* valde miror.

CAPVT V.

Probiter, probe. Diem pro meliore habere. Hac re. Locus Nonij de indiſcretis aduerbijs totus perpurgatus.

HÆc ad hanc fabulam. quæ ſi tenuicula videbuntur, & palatum tuum Fr. Pithœe, auidum lautitiarum Muſicarum irritaſſe, nos ſatiaſſe; æqui boniq. facies. ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω; vt in donarijs deûm antiquitus inſcribebant. Ne tamen ſine bellarijs te dimittã, depromam ex oporotheca Noniana aliquot poëtarum, vt cum Catone loquar, pulchralia:

quæ ſi & ipſa aut ambeſa erunt carie, aut ſemiputida, dura amabo, & dum ſingula aut eluo aut expurgo exſpecta. Laudat Nonius in Diſerte ex Afranio.

Quod vult diſerte pactum aut dictum.

Malim, *factum*. neſcio quid fieri aut dici plane velle ſeſe ait. idem illico in Diſertim, Liuium.

Tumq. mihi narrato omnia diſertim.

Sententia clarior erit, ſi ſcribas; *Tuq. mihi*. idem in Celere, Ennij hoc.

Dum quicquid des celere.

Scribe, *Da*, aut *Dane*, & reſpondebant hæc prouerbio, quod vulgi in ore iam diu verſatur, bis dare eum qui cito dat. In Probiter.

Varro Octogeſi. Poſtquam auida libido rapere & concidere cœpit, ſeque opifice ſtrepere.

Superius idem Nonius ex eodem Varronis libro laudat, *Si qua opificio non probiter clepere*. Legerim, *rapere ac concidere cœpit, & ſi qua opifica, non probiter clepere*. De Romanis hæc ſcripta ſuſpicor, qui initio cum ſocijs frugaliter & modeſte agebant, poſt libidine aucta inſoleſcentes cœperunt rapere paſsim, & magnifica omnia hominum prouincilium domum ſuam aſportare. Sequitur in Pugnitus.

Cæcilius Fallacia. Niſi quidam qui ſe malit pugnitus peſſumdari.

Vere corrigo. *Niſi quidem*. Minantis verba ſunt, qui aut ad ſe accedi, aut fieri aliquid, vetat; niſi quidem qui id auſit facere vel cum pugnis multis tamen abſterreri nolit. Sæpe eæ voces perperam permutatæ. ita verba Varronis emé-

do

do in Anuis. *Eam nutricem oportet eſſe adoleſcentulam. Anuis enim vt ſanguis deterior, ſic lac. Lac enim, vt quidem dicunt phyſici, ſanguinis ſpuma eſt.* Non recte vulgo, *quidam*. conſentiunt enim in hac re phyſici. Paullo poſt in Firmiter.

Lucilius libro duodecimo. Firmiter hoc pariterq. tuo ſit pectore fixum.

Non aptum hoc loco, *pariter*: & certe ſententię conuenit potius, *Firmiter hoc probiterq. Probiter*, ſiue quod in vſu maiore eſt, *probe*, interdum ſignificat omnino, plane, certo. Plauti Aſinaria. *Memor es probe.* Moſtellaria. *Puppis eſt pereũda eſt probe.* Illud quoque eiuſdem Lucillij vere emendaui in Publicitus.

Lucillius Satyr. XII. Huic homini quæſtore aliquo eſſe opus atque chorago, Publicitus qui mi atque Epiſeo prabeat aurum.

Verſu priore, *aliquo eſt opus*. quamquam poteſt pendere ſententia a verſibus alijs: poſteriore profecto ſcribendum,

Publicitus qui mi atque e fiſco præbeat aurum.

Fiſcum dixiſſe arbitror publicæ pecuniæ receptaculum: cuius rei exemplum neſcio an ante Imp. tempora hoc vnicum ſit. In Ignauiter.

Quadrigarius Annalium libro II. Et qui ibi erãt, non ignauiter putando, eum diem pro meliore habuerunt.

Leuiſsimum mendum eluo, *non ignauiter potando*. ita in Plauto eſt, *ſtrennue obſonare, potare.* probat etiam, quod ſequitur. nam *diem pro meliore habere*, quid aliud quam, vt Plautus Epidico loquitur, *habere luculentum*? In Exquiſitim.

Varro. Aiace ſtramentitio acre æger medicos exquiſitim conuocabat, vt conualeſceret,

Legendum, *Aiace Stramenticio. Hac re æger medicos. Hac re*, vt, *ea re* eſt ideo, propterea. In Seueriter.

Afranius Simulante. Seueriter ferre hæc, te ſimul ac gnatam ab illo abducere.

Reſcribo, *ferre hæc te ſimula, ac gnatam*. cuius emendationis fundus titulus fabulę eſt a re impoſitus. ná in ea litigium inter vxorem & virum: cum vir in peccato deprehenſus æſtuaret; mulier in fermento eſſet, aut certe ſe eſſe ſimularet; adiuuaret ſcęnam ſocer, & abductarum filiam ſe fingeret. hæc ex fragmentis colligas facile. In Ampliter.

Pomponius Herede Petitore. Heus aptate pueri nunc munde atque ampliter conuiuium.

Octonarius erit integer ſi ſcribas, *Heus apparate huic pueri.* neque dubium quin reponendum ſit, *apparate* nam id verbum conuiuij eſt, non *aptate*. Ibidem.

Accius Diomede. Benigne & pro beneficio large atque ampliter.

In mss. video eſſe, *largitó*. Ea cauſſa cetera ſcribſerim, *Benigne ei pro beneficio largito atque ampliter.* Cohortatio eſt ad referendas bene merenti gratias. In Reſtrictim.

Afranius Thaide. Eaque firme ſedere melius conſultoribus, quam reſtrictim cogitata atque omnibus rationibus.

Septenarij ſunt duo, quibus egregia ſententia incluſa, quæ vt appareat ſordes detergam.

Eaque ferme ſedere melius conſultatoribus,
Quæ reſtrictim cogitata atque omnibus rationibus.

Ea, inquit, demum conſilia conſultatori melius hærent & cedunt felicius, quæ multum diuq. cogitata & omni ratione agitata ſunt. Operæ pretium feciſſe videor, qui locum Nonij totum, quem de Indiſcretis aduerbijs vulgarij libri inſcribunt, a vertice ad talos emaculaui. Sciens certe nihil reliqui, niſi aut ab alijs monitum, aut ita facile, vt moneri neceſſe non eſſet.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI MOSTELLARIAM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Phaſma Plauti eandem cum Moſtellaria eſſe. Non forte. Non temere, non temerarium. Non de nihilo. Moſtellaria ſæpicule correcta. Feſtus ſuppletus. Fragmentum Moſtellariæ falſum reiectum.

MOSTELLARIÆ nomē monſtra fecerunt, quę illic poëta ridicula multa ciet; vt eadem Romę, vico moſtellario: quem in vrbis locis Varro collocat. *Moſtrum* enim & *moſtellum* antiqui efferebant, omiſſa n littera. Sed eadem fabula alio quoque nomine cenſetur non vulgo tantum doctorum, ſed principibus etiam hodie ignoto. nam binominem poëta reliquit vt alias multas, hanc etiam: & vt eædem eiuſdem Plauti Comœdię ſunt, Synapothneſcontes & Commorientes, Clitellaria & Aſtraba, Lipargus & Paraſitus piger; ita eandem fabulam eſſe Moſtellariam Plauti & eiuſdē Phaſma primus doceo. & ſane φάσμα monſtrum eſt; quæque ſolus Feſtus fragmēta duo e Phaſmate adducit, ea hac fabula perſpicue exſtare animaduerti. primum verbis Philematij, Scæna, *Iam pridem ecaſtor.*

Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit;

Nec-recte ſi illi dixeris, iam ecaſtor vapulabis.

quæ Feſtus in Nec profert aliqua, non omnia. alterum a Tranione ſeruo dicitur, Scæna, *Melius anno.*

Ehem vix tandem
Percipio ſuper his rebus noſtris te loqui.

e quo loco ſupple mutilam hanc partem Feſti in Super. Itaque viri docti qui inter amiſſas fabulas huius noſtri Phaſma numerarunt, per me ſententiam mutare iam poſſunt. Sed ea fabula leuiter corrigo, ſcæna, *Recordatus multum.*

Primumdum parentes fabri liberûm ſunt.
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum.

Ei fundamentum; parentes, ſcilicet. nam id ſententiam magis erigere & quodammodo animare videtur. Scæna, *Aduorſum mihi.*

DE. ſemper
Iſthoc modo moratus viuere debebas.

Verba meretriculæ ſunt amatorem admonentis, vt vrbane & venuſte iocetur, non inconditе & ruſtice. ijs valde ſimilia e Gemina Titinnij Nonius laudat in Ibus,

Eu æcaſtor ſic moratæ ſitis ambæ ibus, vt ego,
Moribus.

ea protuli, vt emendarem. nam maculoſiſsima in eo loco Marcelli leguntur. Videtur autem mater filiabus ſuo exemplo ad mores poliendos præiſſe trochaicis ſeptenarijs. Scæna, *Iuppiter ſupreme.*

Ludos ego hodie viuo præſenti hîc ſeni
Faciam, quod credo mortuo numquam fore.

Malim, *quos credo*. Exſequijs honoratiorum ce-

lebrandis ludi funebres edebantur in Vrbe. ad quos alludens ſcelus ſerui Tranio, eiuſmodi ludos, ſe viuo ſeni facturum ait, cuiuſmodi numquam in funere eius populus R. ſpectaturus ſit. Scæna, *Sceleſtiorem ego.*

Ferre hoc potes, an mauis vt aliquo abeat foras.
Vrbem exſul linquat factus hic cauſſa tui.

Libenter correxerim, *Vrbem exul linquat, actus hinc, cauſſa tui.* Actus hinc, hinc eiectus, hinc expulſus. Scæna ſequenti illa,

Non mihi forte viſum illico fuit
Melius quam prandium quom ſolum dedit,

deprauata nuper ab interprete, & explicata ab omnibus perperam. nam qui arbitrantur obſcenam ijs verbis ſententiam adumbrari, ne illi nimium ſuſpicioſi ſunt. ſecundus verſus leui macula aſperſus eſt, quam tollo. *Melius quom prandium quam ſolitum dedit.* Non, inquit, temere & caſu id fieri illico in mentem venit, cum lautius cottidiano prandium apponi mihi viderem: & certe illud erat; meridianam a me operam impetrare voluit. *Non forte* Plautinum eſt, οὐχ ἀλόγως. vt apud eumdem noſtrum, *non temere, non temerarium,* Bacchidibus,

——quid vos mæſtos tam triſteſq. eſſe conſpicor?
Non placet. nec eſt temere. Aulularia,
Non temerarium eſt, vbi diues blande appellat pauperem.

Idé valet, *nō de nihilo.* Propertiꝰ. *Nō ſum de nihilo blandus amator ego.* Idem. *Nec ſic de nihilo fulminis ira cadit.* noſter hic Curculione. *Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam.* Scęna, *Qui ho-*

mo timidus.

Sic tamen hinc dedero conſilium. nimio plus ſapio ſedens.
Tum conſilia firmiora ſunt de diuinis locis.

exime e fragmẽtis, quod ad hanc fabulam viri docti annotarunt. nam Seruius quidem ad IX. Æneidos hos ipſos verſus aut laudauit, aut voluit certe.

CAPVT II.

Patibulati, furciferi. Victus probus. probe viuere. Deſtinare. Moſtellaria emendata multoties.

REVERTOR ad fabulæ principiũ, decurſa ea ſemel leuiter. Scæna prima Grumio Tranioni minatur his verbis.

O carnificinum cribrum, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reueniat ſenex.

Videtur magis e Plauti conſuetudine, *Ita te forabunt patibulatum per vias Stimuli.* Libenter enim rebus animatis actionem & ἐμψύχωσιν quandam tribuit. Capteiueis. *Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.* Perſa. *Vide modo vlmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.* & ſat ſcio valde hoc placebit ijs, qui Plauti genera loquendi propius cognorunt. Quod autem patibulatum eum per vias fore ait, ſignificat furcam ſiue patibulum laturum, vnde *furciferi* dicuntur hac contumelia affecti ſerui, noſter hic Carbonaria. *Patibulum ferat per*

vrbem, deinde affigatur cruci. Scæna, *Melius anno.*

S I. Muſice hercle agitis ætatem, ita vt vos decet,
Vino & victu, piſcatu probo, electili.

Obſcuriores quidem tota hac ſcæna numeri, ſed apparet pleroſque ſenarios fuiſſe. itaque inclino vt verſu ſecundo reſcribam,

Vino & victu probo, piſcatu electili.

Victus probus, lautior eſt. vnde paullo poſt, *probe viuere*, genialiter & opipare viuere. etiam Rudente dixit *merces improbas*, putiſcentes & degeneres. Scæna, *Serui qui.*

Ain minis triginta amicã deſtinatã Philolachem?

Interpres mauult, *deſtinatum*. Ego, *deſtinatam Philolachi*. antique, vt *Chremi*. Deſtinata, emta. Lucillius apud Nonium, *Tribus in libertatem millibus deſtinat.* Supra hac fabula, de emtis ædibus. *Quid? eas quanti deſtinat?* Rudente. *Minis triginta ſibi puellam deſtinat. Datq. arrabonem, & iureiurando alligat.* e quis locis colligas *deſtinare* eſſe emtione facta arrabonem dare, ceterum pretium in diem differre. Scæna, *Perij hercle.*

Nunquid proceſſit ad forum tibi hodie noui.

Rectius cenſeo, *ad forum ibi hodie noui.*

CAPVT III.

Frutex. phui. Capitalis ædis, homo. Hac fabula declarata, correcta pluria.

INTER contumeliæ verba fuiſſe veteribus, *frutex*, docet ex hac fabula ille verſus,

Nec veriſimile loquere, nec verũ, frutex.

& Plauti imitator Appuleius apologia pro ſe ipſo. *At hoc ego Æmyliano, non huic Afro, ſed illi Africano, & Numantino, & praeterea cenſorio, vix credidiſſem; ne huic frutici credam non modo odium peccatorum, ſed ſaltim intellectum ineſſe.* e quis verbis apparet conuicium in ſtupidos & inſulſæ mentis homines fuiſſe. Eadem ſcæna,

GR. Quam confidenter loquitur! væ. TV. at te Iuppiter
Diq. omnes perdant, oboluiſti allium.

Editiones antiquæ magno conſenſu, *quam confidenter loquitur fur.* Equidem arbitror verum eſſe, *fu*, aut, *phui:* quæ exſcreantis præ indignatione interiectio eſt; quod feciſſe Grumionem Tranionis verba arguunt, qui afflatu vehementioris ſpiritus allium ſenſerat. ſic Pſeudolo eſt, *phui in malam crucem!* Illa quoque ſeniores libri aliter loquuntur, quam nuper nati, ſcæna, *Iam pridem.*

Equidem pol miror tam catam, tam doctam te, & bene eductam,
Non ſtultam ſtulte facere.

In illis, *Non ſcire & tam ſtulté facere.* niſi diſſentiant membranæ, ſane inclino vt legam, *Non ſcite & tam ſtulte.* ita enim eadem Scaphium inferius paullo iterum dicet. *Inſcita ecaſtor tu quidem es.* Verum, vt dixi, cum membranis in re tam leui pugnare nolo. Sed quod numeroſæ familiæ dominis euenire interdum ſolet, vt e ſeruis quidam afugiant, & prudentiam heri in turba facilius fallant, idem

Plauto ſæpe accidit vt litteræ, ſyllabæ, voces, & verſus adeo gregatim fuga abierint. e quibus fugitiuis paucos reprehendimus, & alij alios ſæpe. nunc lubet latentem vnum indicare, niſi tamen perſequentem me veſtigia fefellerunt, ſcæna *Iuppiter ſupremus.*

Satin habes, ſi aduenientem ego ita patrem faciam tuum,
Non modo ne introeat, verum etiam vt fugiat longe ab ædibus?

duas ſyllabas reprehendendas ſuſpicor, *ita patrem pauefaciam tuum.* tametſi ſine membranis etiam hîc mihi nimium nihil credi volo. nam ratio excogitari poteſt, qua defendatur id quod editur. Scæna, *Habeo Neptune.*

Capitalis cædes facta eſt. TH. non intelligo
TR. Scelus, inquam, factum'ſt iam diu antiquum & vetus.

Veteres libri, *capitalis ædis facta eſt.* vt ego iudico, veriſsime. Capitalis ædis fit, cum in ea capital admittitur: vt *homo capitalis*, nefarius, flagitioſus, ſceleratus, qui capital aut facit audacter, aut factum probat. Cicero de Officijs III. *Capitalis Eteocles, vel potius Euripides; qui id vnum quod omnium ſceleratiſsimum fuerat exceperit.* Sane id quod publicatur friget in ſententia. quæ enim cædes iniuſta non capitalis? In illa pueri frugi ſermocinatione hęc ſunt de nequam ſeruis, qui malum meriti in fugam ſe conijciunt:

Hi ſi reprenſi ſunt faciunt a malo

Peculium, quod nequeunt facere de ſuo,
Augent ex pauxillo, theſaurum inde parant.

Vbi exiſtimo rectius ſcribi poſſe, *Augent ex paxillo*. Pendentes enim ſerui virgis cædebantur. ideo facete eos augere peculium ex palo ait, ad quem ſuſpenduntur; & inde ſibi varium theſaurum in tergo colligere. Eadem ſcæna male interpunguntur iſta,

Edepol eius me patris miſeret, qui cum iſthæc ſciet
Facta, ita amburet miſero ei corculum carbunculus.

cum potius deberet. *Facta ita, amburet*. nam hoc dicit; patrem Philolachi, cum eo modo quo dixerat vixiſſe filium cogniturus ſit, ægre & moleſte laturum eſſe.

CAPVT IV.

Bella iubere. Hiris latrantibus. Tergo videre. Ambitus mutuus. ambitioſæ. Axitioſæ. Scato rigare. Petronij permulta correcta, illuſtrata.

E Petronio aliquammultas maculas paullo ante ſuſtuli: reliquæ ſunt etiam nunc aliquot ſuſpiciones meæ, de quibus te conſulo, A. Oiſele, quem Arbitri ſtudioſũ opinor, vel quia mundiſsimi in ſermone nitoris eſt, vel quia ab amiciſsimo tibi homine in lucem & cognitionem eruditorum retractus. In Eumolpi carmine de ciuili diſcordia legimus.

——— *quamquam quos gloria terret,*

Aut qui ſunt, qui bella vident? mercedibus emta,
Ac viles opera ; quorum eſt mea Roma nouerca.

Qui iſti, qui bella vident? aut quid hoc ſermonis eſt, videre bella? Scilicet eſſe corrigendum, *Aut qui ſunt, qui bella iubent*? Bella iubebat populus Romanus cēturiatis comitijs coactus: quem hîc Cæſar inuidioſe ex operis mercenarijs collectam multitudinem vocat. *Iubere* comitiale verbum eſſe indicat formula, qua rogabant, VELITIS IVBEATIS QVIRITES. Longe ante hūc locum in eodem carmine, de Romanæ iuuentutis effuſione & ære alieno loquens, nulli ait patrimonium ſuum relictum, ſed vt tabem æs alienum in omnes defluxiſſe. verba ſunt ſimilitudinis.

Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.

Vbi parum apte dicitur, *curis latrantibus*, neque ad tralationem ſane facit. Arbitror commodius fore, *hiris latrantibus*. notum eſt *hiram* eſſe inteſtinum ieiunum; quod vt inane & vacuum ſemper eſt, ita iſti gumiæ ſatiabantur numquam, ſed hiabant luxu & auaritia ſemper. ſemper autem famelicorum inteſtina a bonis ſcriptoribus *crepare* aut *latrare* dicuntur. Infra ſuperiorem locum,

aut toruo Iuppiter ore
Quum ſe verticibus magni demiſit Olympi,
Et periturorum deiecit tela gigantum.

Omnino rectius, *diſiecit tela*. & id vel hiſtoria rei geſtæ probat. Maioris momenti illud eſt pagina proxime ſequenti.

Diuelletur adultero
Laſciuis ederis ambitioſior.

Ad eandem formam Plauto *axitioſa mulier*, quę ſatagit curioſe omnia, ab agendo dicitur. *Axitioſæ*, inquit, *caram annonam e vili concinnant viris.* Sequitur ſtatim.

Manifeſtis mulier contumelijs verberata, tandem
ad vltionem decurrit, vocatq. cubicularios, & me
iubet catorogare.

Catorogare, latinum non puto: & vide ne ſincerius ſit, *ſcato rigare*. ſciunt omnes quid ſit Græcis τὸ σκατὸν: quod cubicularij maximo mulierum efferunt. & amat Petronius græca nomina ciuitate Romana donare.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI MENÆCHMOS QVÆSTIONES.

I. G. GABRIELI CALLONNIO Licquio V. CL. S.

EGo vero & iudicium iſtud tuum admiror, amplisſime Calloni, & ſtudium vehementer laudo. Vere enim ſentis, neque pro nobilitate familiæ, neque pro gradu honorũ tuorum, quicquam te facere poſſe præclarius, quam honeſtiſsimarum artium, & fautorem te, & amatorem profiteri. Magna hæc iam per ſe virtus,& eo maior, quo rarioribus exemplis tui ordinis ſummatum nititur.ſed tu non contentus amore &fauore,præterea laborem grauẽ in te vltro recepiſti, ſed digniſsimũ amplitudine tua, & omni genere politæ & præſtantis doctrinæ exerces cotidie animum iſtũ tuũ maximarum rerum cognoſcẽdarum cupiditate flagrantem. Hiſtoria in primis, id quod coram vidi, ingenij prudentiam alis, & naturæ fortitudinem, quæ hæc tempora ſunt, ad omnes caſus perferendos offirmas. quam hoc tu ſapienter, & non tibi ſolum, ſed vniuerſæ etiã reip. vtiliter, neque huius loci eſt, neque exigua hac charta diſputari poteſt. Sed qui grauio-

grauiora tam dextere exſequeris, cum hæc leuiora & illorum tamquam bellaria non aſpernari certum habeo. cuiuſmodi poëtarum in primis comicorum lectio eſt, ipſa quoque cum narratione omnis æui cognatione quadã copulata. nam vitæ cotidianæ perfectam imaginem, & ſpeculum morum illuſtre in ſcæna repręſentat: vnde ſibi quiſque, quod aut fugiat aut ſequatur, rectiſsime ſeligere poſsit. Quo minus reprehẽdẽdi, qui in eo operę ſuę ne parcunt, vt tam boni magiſtri quam emendatiſsime nobiſcum loquantur, & quam planiſsime bene monita eorũ intelligantur ab omnibus. in quo laboraui leui brachio in Menæchmis, Plauti noſtri feſtiuiſsima, & eruditæ varietatis pleniſsima fabula. aſſecutus ſim quod volui, vt ſententia nonnullis locis magis quam hactenus diluceſcat, tu iudicabis, ampliſsime Calloni, & de me ſic ſtatues, nihil virtuti tuę tã promtum aut tam paratum vmquam fore, quam in omnibus rebus quæ ad laudem tuam pertinent voluntatem, operam, obſeruantiam in te meam.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI MENÆCHMOS QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Lamina compedum. Præmium, γέρας. *multa ad Menæchmos cenſuræ.*

LEpide & ex diſciplina paraſitica Peniculus edocet, edaces homines quo rectiſsime modo ſeruari poſsint, ne fuga ſe e cuſtodia eripiant. in catenis eos aut compedibus haberi non placet huic ſenatori;

Nam, inquit, *ſe ex catenis eximunt aliquo modo.*
Tum compediti ianuam lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clauum.

Qui locus ab vno verbo, quantum ſuſpicari poſſum corruptus ſentētiam obſcuriorem habet. ergo reſcribo,

Tum compediti lamnam lima proterunt.

Nam laminam ferream compedum ſignificat, quam eos lima proterere ait. & certe eandem laminam in nequam ſeruorum impedimentis & cruciamentis numerat Aſinaria,

—ſtimulos, laminas, crucesq. compedeſq.
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Inductoresq. acerrimos gnaroſq. noſtri tergi.

niſi quis hanc alio referre malit, & cum Propertij illa confundere,

Lygdamus vratur, candeſcat lamina verna.

quod verius fortaſſe eſt. Ianua tamen huc non conuenit. nam neque carceris ſignificari po-

teſt;qua vel aperta quî fugiant compediti?tum pro clauſtro poſitã cõpedum multominus credo, tametſi Turnebus huc inclinet. quis enim compedes ligneas aut legit aut audiuit? In eiuſdem Peniculi verbis hæc ſunt.

Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo iam diu
Sum indicatus vltrò eo, vt me vinciat.

Locus non obſcurus, & de quo verbum non facerem, niſi nuper viderem correctionis ſpecie corruptum. & laborat tamen leuiter a diſtinctione, quam muto. *N. e. a. M. nunc, eò quo iam diu Sum iudicatus v. eo.* non iteratur verbum *eo*, ſed priore loco aduerbium eſt. Scæna. *Ni mala*.

Auerti prædam ab hoſtibus noſtrum ſalute ſocium.
PE, Heus adoleſcens ecqua in iſthac pars ineſt præda mihi.

Vetuſte cuſi, *pars ineſt præmij mihi*. vt mihi videtur, ſinceriſsime. cõiungit ſæpe Plautus præmiũ & prędam; ſed exẽpla memoria non ſuggerit: & ſane vtrumque idem prope eſt, id videlicet quod hoſti aut viatori miles aut graſſator manu eripit. Virgilius XI. Æneidos.

Multaq. præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.

Tibullus.

Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veſte petat.

Patronius Arbiter. *Quid aquis dici formoſius poteſt? in publico tamen manant. Solus ergo amor furtum potius, quam præmium erit?* Vrbane furto

commiſit præmium, quod alterum dolo clam, alterum vi palam capiatur. Iam pueri norunt *præmiatores* eſſe, qui de nocte præmia extexant. Hinc ea vox tranſlatione ad honorem deducta, qui habetur viro ſtrennuo pro opera nauata reip. & pulcerrime in Gloſsis *præmium* explicatur γέρας. Circumſpice omnia in vtraque lingua; vtrouis horum in ea re aptius verbum fruſtra quæres. Scæna, Nulla eſt voluptas.

——ſi acum credo quæreres,
Acum inueniſſes, ſi appareret: tam diu
Hominem inter viuos quæritamus mortuum,
Nam inueniſſemus iam diu , ſi viueret.

Certum habeo animo meo ſcribſiſſe Plautum, *Acum inueniſſes, ſi appareret, iam diu.* & clare probant ea quæ ad hæc verba alludunt verſu ab hoc ſecundo.

Capvt II.

Poſtilla. Amator potiſſimus, primus, potior. Tam. Mala ætas, mala merx. Menæchmi declarantur, corriguntur ſæpius. ſemel Caſina.

EA quæ hanc ſequitur , luculente mores meretricum &ſuis cum pigmẽtis omnibus depinxit nitidiſsimis verſibus.

——morem hunc meretrices habẽt,
Ad portum mittunt ſeruulos ancillulas;
Si qua peregrina nauis in portum aduenit,

Rogant cuiatis ſit, quid ei nomen ſiet:
Poſt illæ extemplo ſe applicant, agglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.

ſed penultimo parum placet, *poſt illæ:* dixiſſet potius, *poſt ipſæ*, & hoc latinitatis ratio magis poſceret. ſed ille ſui ſæculi vocem maluit, ſi recte coniecto.

Poſtilla extemplo ſe applicant, agglutinant.

Vides a fine ſequentis voculæ litteram ſuperfluere, & inſcitia ſit docere conari, quam ita ſæpe loquatur noſter poëta. Scæna proxima,

Atque eccum video, qui mihi eſt vſui, &
Plurimum prodeſt: item huic vltro ſit, vt
Meret potiſsimum noſtræ domi, vt ſit.

Sed melius alij libri, *item huic vltro ſit vt meret, potiſsimus noſtræ domi vt ſit.* Amator potiſsimus, qui primas partes apud amicam tenet; Terentius Eunucho *primum* vocat. Hinc eidem noſtro huic *amicæ potiorem fieri*, eſt ita inſinuare & conciliare ſe amicæ, vt pulſis riualibus ſolus & primus placeat, & regnet in exoptatis amoribus. Caſina,

C H. Tun illam ducas? hercle me ſuſpendio
Quam tu eius potior fias, ſatiuſt mortuum.

Ita optimę membranæ Camerarij; non vt editur, *potitor*: de quo vt cogitaremus nos monuit eruditiſsimus ille vir; cui non parere nefas exiſtimaui, &, vt arbitror, non inſulſe veterem ſcripturam explicaui. Paullo poſt.

Eamus intro vt prandeamus. M E. bene vocas. iam
gratia eſt.

Malim, *tam gratia eſt. Tam* pro *tamen* vſitatum

fuiſſe, Feſtus docet; quod cum in ms. Camerarij fuerit, gloſſema antiquæ dictionis fuiſſe cenſeo. illud quidem *iam* huc non conuenit. *Gratia eſt*, aut, *gratiam facio* blandior formula eſt abnuendi ſe ad cenam venturum. Moſtellaria extrema.

——ſaluos cum aduenis Theuropides
Peregre, gaudeo. hic apud nos hodie cenes, te rogo.
TH. Callidamate dei te ament. de cena facio gratiam.

Scæna, *Vt ætas mea eſt.*

——Vt ætas mala merx eſt ergo.

Laudat hoc Nonius locis duobus, e quibus facile colligas voce repetita legendum eſſe, *Vt ætas mala mala merx eſt ergo!* quod etiam antiquitus cuſi agnoſcunt. *Mala ætas* pro ſenectute ſæpe ponitur; argutiſsime Aulularia.

Nam cur me miſeram verberas? EV. vt miſera ſis,
Atque vt te dignam mala malam ætatem exigas.

Merx mala, de homine aut re nihili. Pſeudolo. *Ædes ipſum lenonem euomunt. SI. illicine eſt? PS. illic eſt. SI. mala merx eſt.*

CAPVT III.

A me. ad ſe. a nobis. Apollinis. Qui die. Menachmi pluries emaculantur. locis duobus Cicero.

EADEM ſcæna idem ſenex inter eundum ſecum loquitur,

Quid hoc ſit negotij, quod filia ſic
Repente expetit me, ad ſeſe me vt irem.

Primum familiaris Plauto ἀρχαϊσμὸς, *expetit me ad ſe vt irem*: vſitatius eſſet, & e populari ratione loquendi, *expetit vt ego irem*. Verum quid deinde faciemus illo altero, *me?* an, vt video fieri, exturbabimus hinc contra veterum codicum fidem? non ego. nam magis placet ſuſpicari excidiſſe litterulam, & ſcribendum eſſe, *expetit me ad ſeſe a me vt irem*. A me, domo mea. pro Milone Cicero. *Atque illo die certe Aricia rediens diuertit Clodius ad ſe in Albanum*. Idem epiſtola ad Terentiam. *Quid cauſſa autem fuerit poſtridie intellexi, quam à nobis diſceſſi*. A nobis, ait; hoc eſt, domo noſtra: vt in ſuperiore exemplo, ad ſe; hoc eſt, in villam ſuam. Sed vterque Ciceronis locus, ne fallaris, omnibus in libris vulgarijs mendoſus; a nobis e fide membranarum aliquando conſtituetur, ſi deus fauerit. Sequitur in Menæchmis.

——— eccam eam ipſam
Ante ædeis, & eius triſtem virum video.
Id eſt, quod ſuſpicabar.
Appellabo hanc, ibo aduorſum. MV. ſalue multum mi pater.

Perſonam parum in loco poſitam arbitror, & multo libentius legerim, *Appellabo hanc. MV. ibo aduorſum. ſalue multum mi pater.* Filia enim officij ſui memor patri obuiam procedit; tum ſalutat. nam ita ſolebant parentibus natæ aut propinquæ honoratiori cognato. Sticho. *Is eſt ecaſtor: ferre; aduorſum hominem occupemus oſculum. Salue mi pater.* Nõ longe poſtea eſt.

Dic mihi iſthuc Menachme quod vos diſſertatis, vt ſciam.

nihil ad lites, *diſſertare.* ea re malim, *decertatis*; aptius certe id huic ſententiæ: ſed viderint ij qui honorarios teſtes domi habent. nam ſoli coniecturę huic nimium credi nolo. Sequitur.

Quid tu ais? num hinc emigraſti? ME. quem in locum aut rem obſecro.

Nihil inficetius illo, *aut rem:* quod oſcitantia ſcribarum huc inuexit. Corrigo, *quem in locum autem obſecro?* Venuſtius eſt quam vt quiuis e vulgo capere poſsit ita collocatum, *autem*. Moſtellaria, *Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter ſenex.* Sub finem ſcænæ,

Imperium tuum demutat atque edictum, Apollinis.

Apollinis. vocandi caſus ἀρχαῖος, vt illa nominandi caſu, *fulminis, vulturis*. Ennius. *Vulturis in ſiluis miſerum mãdebat homonem.* Paullo ſupra.

Vt ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, edentulum.

Nobilis eſt leonibus generoſis Getulia, ſcio; & quis ille puer litteris tinctus qui hoc neſcit? Verum hic de effeto & decrepito leone agit, non acri & vegeto. Itaque vide ſi rectius eſt, *vetulum, olentem, edentulum.* gradatio quidem erudita eſt. ἐπέχω tamen. Extrema fabula,

Mi germane, gemine frater ſalue. ego ſum Soſicles.

Geminum fratrem eodem modo Lactantius Remum Romuli dicit inſtitutionum I. capite X V. *Apud Romanos deus Iulius, quia hoc ſcele-*

rato homini Antonio placuit; deus Quirinus, quia hoc paſtoribus viſum eſt: cum alter gemini fratris exſtiterit, alter patriæ parricida. Sic enim ſcriptus liber melius & acrius, quã vulgo eſt, *germani fratris.*

Vis conclamari auctionem fore quidem? M. dieſeptimi.

Lambinus corrigit, *quo die.* Ego propius ſcripturam veterem, *fore quî die.* & eſt is modus loquendi ſollemnis in formulis. vnde iſta, *die craſtini, ſeptimi, noni.* Sic Caſina e libris reſcribſimus,

In eum diem, quî quod amet in mundo ſiet.

nam etiam hic *quî die* ſignificat, *quo die.*

CAPVT IV.

Albunea Sibylla. Sortes. Proloqui, prophetæ. Impotẽs. crudus. Spartiatæ. Clinici philoſophi. Accenſus religioni. Lactantius pluries emaculatus; eiuſdem argutiſſimus iocus explicatus. Locus eius a Cicerone; & alter a Quinctiliano.

ASTVTE olim & vere fenerator Alphius, G. Calloni; bona nomina non appellando mala fieri: ſed ego in re diſſimili non minus vere, bonas litteras ſi peruerſe colas fieri malas. Habet enim humanitas vt vtilitates & oblectationes animi infinitas; ita permulta ſpecie honeſta & ſuauia, reabſe inania & periculoſa, ad quę, niſi caueris, impelli tamquam ad Sirenum ſaxa, & miſerrimum nau-

fragium facere neceſſe ſit. Cauendi vna ratio eſt, humanam ſapientiam diuinæ poſthabere, & illius ſomnia ad huius oracula ceu Lydium lapidem examinare. Quod quomodo recte fiat, iamdiu exemplo ſuo docuerunt diuini homines pietatis noſtræ anteſignani, Tertullianus, Arnobius, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, alij. Illorum ego, vt de me fatear, mirifice capior cum religione litteris ceu emblemate quondam inſignita, tum litteris religione ceu condimento ſaluberrimo temperatis. Gratiam ſanctiſsimorum hominum manibus beatis vnam refero, vt maculas vltro ſe offerentes (neque enim has minutias ſectari meum eſt) ex eruditiſsimis monimentis tollam. quod Arnobij multis locis feci, & nonnullis Tertulliani. ex Lactantio eo plura, mendoſa quæ erant, meliora feci; quo diligentius eum ſcriptorem ad membranas infimæ antiquitatis comparaui. Specimen rei iam dabo, ſed vellicatim, & deſultorium in modum, per omnes illius libros incitato curriculo decurrens. Ait Lactantius in recenſione Sibyllarum, libro I. inſtitutionum, capite VI.

Decimam Tiburtem, nomine Albuneam; quæ Tiburi colatur, vt dea, iuxta ripas amnis Anienis: cuius in gurgite ſimulacrum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum. cuius ſacra ſenatus in Capitolium tranſtuliſſe dicitur.

Albuneam Tiburicultam religioſe indicat in

agro Tiburtino mons & fons eius nomine, de quo Virgilius Æneidos VII.

——lucoſq. ſub alta
Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſæuamq. exhalat opaca Mephitim.

in ſequẽtibus membranæ legunt, *cuius ſortes ſenatus in Capitolium tranſtulit*. optime. Gloſſę veteres, Sortes, χρησμοὶ, κλῆροι. Æneas ad Demophilen Cumanam Sibyllam, apud eumdem Virgilium,

Hic ego namque tuas ſortes arcanaq. fata
Dicta meæ genti ponam, lectoſq. ſacrabo
Alma viros. & Æneidos VII.
Non patrio ex adyto ſortes, non plurima cælo
Monſtra ſinunt.

Hinc lucem accipit Tibulli locus libro II. elegeia VI.

Quicquid Amalthea, quicquid Marpeſsia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit,
Quaſq. Aniena ſacras Tiburs per flumina ſortes
Portarit, ſicco perlucritq. ſinu,

nam ita in mss. legi, credo fidei clariſsimi viri, & optimi poëtæ Iani Duzæ. & ipſam Albuneã a patria *Tiburtem* nominat. Paullo poſt etiã nõ recte habent vulgati libri, vbi de Erythræa loquitur, quę ſola Sibyllarũ ſuo nomine cẽſeatur

Quæ & nomen ſuum verum carmini inſeruit, & Erythræam ſe nominatum iri prælocuta eſt; cum eſſet orta Babylonia.

Sincerius ſcriptus, *Erythræam ſe nominat, vbi proloquuta eſt; cum eſſet orta Babylone.* Proloqui vaticinari & futura canere. vnde *propheta,*

quod proloquerentur. Iulius Adraſto.

Tum capita viridi lauro velare imperant
Prophetæ ſancta caſte qui purant ſacra.

Secundi libri quarto capite, cum oſtendiſſet deos diſpoliatos a ſacrilegis non valuiſſe in vindictam ſuam, & flagitia Dionyſij Siciliæ tyranni recenſuiſſet, addit,

Nunc interim quæro, cur illi tot & tanta ſacrilegia in Dionyſio non vindicarint, qui non furtim, ſed palam deos ludibrio habuit. Cur hunc tam potentem ſacrilegum a templis, a cerimoniis, ab imaginibus ſuis non arcuerunt?

Membranæ, *Cur hunc tamen potentem ſacrilegum*, emendo, *tam impotentem ſacrilegum*. Impotens, iracundum & inhumanum ſignificat, quique ferri non poſsit, quod & cupiat nefaria omnia, & in ea quę concupiuerit omni mentis impetu feratur. Cicero epiſtola ad Plancum. *Quæ poteſt enim ſpes eſſe in ea rep. in qua hominis impotentiſsimi atque intemperantiſsimi armis oppreſſa ſunt omnia?* Gloſſographi explicant *ὠμόν*; & ſic Latini interdum *crudum* accipiunt pro duro & inexorabili, Truculento Plauti.

Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum eſſe.

Tertio libro, cap. IV. de philoſophorum inter ſe diſſentientium certaminibus ait.

Pereunt igitur vniuerſi hoc modo; &, tamquam Spartiatæ illi poëtarum, ſic ſe inuicem iugulant, vt nemo ex omnibus reſtet. quod eo fit, quia gladium habent, ſcutum non habent.

Spartos alij vocant, quos hic Spartiatas; de

quibus admonui Veriſsimilium libro III. cap. V. vbi eam vocem luculento ſcriptori Cenſorino primus, quod ſciá, reſtitui. ſed ecce nuper Lutetię adueniens, vidi, qui obſcure, vt in mendacio, ſed tamen hęc erepta ſibi quiritaret. ô hominem acutum! qui cuius ſcrinia cõpilaturus eſſet, eum vltro inſimulat. niſi tamẽ Autolycus ipſe *χλεπῖοσιώνηθ' ὅρκωτε*, Vlyſſem infamię ſuę ſucceſſorem quęrit: pro quo videat, ne Homerum pręconem reppererit. Eiuſdem libri I I X capite ſequitur.

Priuationem doloris ſummum bonum putare non plane Peripateticorum aut Stoicorum, ſed Cynicorum philoſophorum eſt. Quis enim non intelligat ab ægrotis & in aliquo dolore poſitis eſſe hoc diſputatum?

Scriptus codex, *clynicorum*, ſola ratione ſcribẽdi peccans. nihil enim certius quam reliquiſſe Lactantium, *Clinicorum philoſophorum*. Clinicos philoſophos ridicule dicit ægrotos lectis affixos, & de valentium beata vita diſputantes ea, quæ præſens ægritudo dictat. alludens ad Clinicos medicos. qui ex Hippocratis ſecta lectos ægrotorum ambiunt, & curationes pręſcribunt. Etiam ſuperius opinor corrigendum *planoperipateticorum*, vt noua compoſitione verbi inconſtantiam differendi & ſimul erraticam ambulationem Ariſtotelicorum exagitarit. & notum eſt *planos* etiam latine dici errones. Petronius. *Dum attonito vultu efferatoq. nihil aliud quam cædem & ſanguinem cogito, frequentiusq. manum ad capulum refero, notauit me*

miles, ſiue ille planus fuit, ſiue nocturnus graſſator. Sententia loci totius eſt, neque eos qui libere ambulare potuerint primum diſputaſſe indolentiam ſummum bonum eſſe, neque qui ſtare erecti; ſed ſolos illos qui morbo debilitati in lectis cubuerint. μήτε τοὺς πλανοπεριπατοῦντας τὴν ἀναλγησίαν βίου τέλος ἐδογματίσαι, μήτε τοὺς ἑστῶντας τὸ σῶμα εὐτελῶς, ἀλλὰ μόνους τοὺς ἐν ταῖς κλίναις κακοπάσχοντας. nã etiã in *Stoicorum* nomine alluſio eſt; quã vt clarius videres, ſentẽtiã græce extulit. Libro V. cap. II. de impio nebulone, qui a Chriſtianis ſacris reſiluerat ad paganorum deliria.

Quis cum Demoſthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis cui fuerat aſſenſus, & fidei, cuius nomen induerat; & ſacramenti, quod acceperat, proditor factus eſt.

Venuſtius membranæ, *religionis cui fuerat accenſus.* tota enim a re militari tralatio eſt: in qua qui ſint *accenſi* & quid *accenſere*, omnes norũt. Libro ſexto Peripateticorũ ſententiam referẽs de ira, cap. XIX.

Itaque, ait, hanc ipſam iram comitem dicunt eſſe virtutis, tamquam nemo poßit aduerſus hoſtẽ fortiter dimicare, niſi fuerit ira concitatus.

Emendaueram, *hanc ipſam iram cotem dicunt eſſe virtutis*, aut certe, *fomitem.* & certe ita ex Platonis ſententia Macrobius vinum cenſet eſſe *fomitem quemdam & incitabulum ingenij virtutisq.* Sed priorem coniecturam meam & liber ſcriptus probauit, & ipſe Cicero; ex quo omnia ſua mutuatur & deformat Lactantius.

Academicorum IIII. *Atque illi quidem etiam vtiliter a natura dicebant permotiones iſtas animis noſtris datas; metum, cauendi cauſſa; miſericordiam ægritudinemque clementiæ; ipſam iracundiam fortitudinis quaſi cotem eſſe dicebant: recte ſecus ne, alias videbimus.* De ira Dei II. capite, de philoſophis.

Refutabimus poſtea diligentius, cum reſpondere ad omnes ſectas cœperimus, quæ veritatem dum diſputant perdiderunt.

Diſputatione veritas inuenitur, non perditur. rectius igitur vetus, *dum diſsipant*. Simplex enim res eſt veri cognitio, & quam, ſi diſtrahas, amittas. Eiuſdem libri capite XX.

Ne fierent ea, quæ faciunt per iram & humiles & mediocres & magni reges; temperari debuit furor eius & comprimi: ne mentis impos aliquid inexpiabile facinus admitteret.

Vetus, *ne mentis impoſsibile aliquid i. facinus admitteret*. Corrigo, *ne mentis impos a bile*, aut certe, *in bile*. Profecto enim bile concitati a ſe exeunt, & mentis ſuæ parum compotes ſunt. Non procul aberrauit a vero ſuſpicio noſtra: ſed illa haud dubio ipſum verum attigit, in illo aureolo libello de Opificio Dei, cap. IIX.

Aurium, *foramina noluit eſſe nuda & inobſepta quod & minus decorum & minus vtile fuiſſet; quoniam ſimplicium cauernarum anguſtias præteruolare vox poſſet & ſpargi. niſi exceptam per cauos ſinus & retentam foramina ipſa combiberent, illis ſimilia vaſculis, quibus impoſitis ſolent anguſtiora vaſa compleri.*

IANI GVLIELMII IN PLAVTI MILITEM GLORIOSVM QVÆSTIONES.

I. G. IO. PASSERATIO, ELOQVENTIÆ profeſſori, & interpreti Regio. S.

IVVA me amabo iudicio tuo, vir doctiſsime, in aliquot Plautinæ Militis cõtrouerſis locis; &, ſi collineauit diuinatio noſtra, ſententia ſubleua. Ad quẽ enim prouocem aut libentius aut rectius, quam ad eum, cui minima, maxima, mediocria comici noſtri omnia ſunt perſpectiſsima? qui & abdita illius ſcholis tuis iamdiu argutiſsime euoluis, & ambigua dexterrime diſſoluis, & maculoſa eluis terſiſsime. Atque vtinã, quod cogitare te audio, idem vrgere porro perſeueres! vt optimum latinitatis auctorẽ induſtria tua integriorẽ & planiorem aliquando legamus. profecto non dubito, quin, quem nunc & ſuum ſenium lentiſsima tabe conficit, & imperitorum audacia ſæuiſsimis graphijs diſtimulat is te medico conualeſcere, & iterum in theatris ſuis cõſiſtere poſsit; neque fabulari ſolum nobiſcum, ſed etiam

ſuo genio iocari. Perge tantum quo cœpiſti gradu, & hoc tantum bonum reipub. matura, non propera. Nam de noſtris paucarum noctium vigilijs & iactura leuis eſt, ſi offenderint; & emolumentum non magnum, ſi reppererint, quibus perſuadere poſsint. quæ tum denique præclare munus ſuum exſequentur, ſi te, Paſſerati, & huiuſmodi viros alios ad bene de Plauto merendum currentes, quod aiunt, incitarint.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI MILITEM GLORIOSVM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Plauti negligentia notata. volup. Multa Milite emendata.

OEconomiam Plauti accuratiorem multi deſiderarunt. & eſt ſane in hac re negligentior ſæpe, quam leges comicæ poſtulabant: quas vnice & admirabili artificio obſeruat Terentius, hanc partem noſtro hoc longe præſtantior. Vel illud mea ſententia non leue peccatum, quod Milite Palæſtrionem commemorantem facit, quo pacto & Sceledrus ludificādus ſit, & Acroteleutium geminæ ſororis ſuæ mentitura perſonam, quorum neutrum tum quidem fore ſcire poterat: qui neque viſam mulierē apud ſenem Periplectomenem cognouerat, neque vt iſti mali remedium faceret, cogitarat. Itaque ridicule e duabus ſcænis continuis prior narrat gerundæ rei eum modum, quem poſterior multo conatu inueſtigat & extricat. ſed huius generis multa in Plauto. nos, vt occœpimus, non poëtæ, ſed librariorum & correctorum errores veſtigijs odoremur, & quod in nobis eſt, eluamus. Scæna, Niſi hercle.

———*ſed quid eſt Palæſtrio.*

Quod voluis aſtute tecum in corde. PA. pauli-

ſper tace.

iambus trochæum ingreditur, non recte & cũ litterarum ductum conſidero, non abhorrere vero videtur, olim hîc fuiſſe. *Quod volutas tute in corde.* Pluſculis verſibus poſtea.

Magnum illic honorem incipis, ſed magna munis mænia.

eadem lex carminis mendum prodit, quod ſententia diſpellit. ea.n. poſtulat, *Magnum i. h. incipis, & magna.* Doctiſsimus Camerarius aliter, ſed licenter nimis. Scæna ſequenti.

PA. Quod id eſt facinus? SC. impudicum. PA. tute ſcis ſoli tibi.
Mihi ne dixis. ſcire nolo.

Scis, contractio priſca eſt, pro *ſcias*. Tute, inquit, tibi ſoli ſcias, mihi ne dixeris. nam amici mei coniecturam ingenioſam fateor; veram nego. Longe hinc infra.

Scin tu nullum commeatum hinc eſſe etiam a nobis? SC. ſcio.
Neque ſolarium, neque hortum niſi per inpluuium ſcio.

Multo lepidiora erunt, ſi diſtinxeris perſonas. *SC. ſcio PA. Neque ſolarium, neque hortum niſi per impluuium? SC. ſcio.* quomodo poëtam ipſum eas voluiſſe in ſcæna loqui, mihi quidem vel deierare nulla religio eſt. Scæna quæ ſequitur,

PA. Scis te periiſſe nunc quidem domi certo. SC certa res eſt.
Nunc noſtrum obſeruare oſtium voluiſſe. SC. at Sceledre quæſo.

Qui mutarunt, eos verſus refellit, & præte-

rea ſententia: neque video quæ veſtigia ſequantur, cum reponunt *ne euolet*, pro, *voluiſſe.* Ego improbare non poſſum diuinationem animi mei, *Nunc noſtrum obſeruare oſtium volup eſt.* ita ſuperius dixit idē Sceledrus. *te Palæſtrio volup eſt conueniſſe.* Volup eſt, vt lubido eſt: κατ' ἀποκοπὴν a voluptate; vt a facultate, facul. Scis te perijſſe, inquit Palæſtrio Sceledro: reſpondet ille, certa res ea quidem eſt, me perijſſe ſcilicet: ſed nunc lubido eſt hoc oſtium cuſtodia diligenti obſeruare. Scæna proxima.

Nimis beat, quod commeatus tranſtinet iam parietem.

Pro *iam* malim, *clam.* ſupra .n. ipſe ille Palæſtrio, *Qua commeatus clam eſſet hinc huic mulieri.* & quam ſæpe in hac voce peccatum, aliquoties oſtendi ſuperioribus fabulis.

CAPVT II.

Varronis putei *etymologia confirmata. Feſtiua opera* Quòd, *pro quò. Miles explicata, emendata. item Moſtellaria.*

SCÆNA, *Satin' abijt.*
PE. abi intro ad vos domum
Continuo, vide ſitne iſta hac voſtra
intus domi.

Certum puto, *ſitne iſthac voſtra intus domi.* Meam cum videris, vide inquit ſi iſthæc veſtra intus domi eſt. Non longe hinc eſt.

Nam ex vno puteo ſimilior numquam poteſt
Aqua aquæ ſumi, quam hæc eſt atque iſta hoſpita.

ad quos verſus reſpexiſſe plane arbitror M. Varronem, cum putei ἔτυμον proponit de L L. libro V. *Vnde ſumi poteſt, puteus.* Sunt enim ἐτυμολογίαι eius, quæ nobis magnam partem frigidæ & ineptæ videntur, nihil aliud quam alluſiones ad vetuſtiſsimorum poëtarum exempla. Ea cauſſa nihil mutandum in Varrone, vel legendum, vt in veteribus libris inuenit acutiſsimus Scaliger. *Vnde ſumi pote.* quomodo in Plauto etiam fuiſſe, ego quidem non dubito. Sub finem etiam ſcænæ,

Nimium feſtiua mulier operam præbuit.

Multo verius cenſeo, *feſtiuam mulier operam.* Sic infra, *operam adiutabilem*; Perſa, *fidelem* dixit. Scæna, quæ hanc ſequitur.

Es bibe, animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine.

In fragmentis huius comœdiæ hic verſus ponitur, leuiter contaminatus. quem e Plauto ipſo apud Nonium corrige, & in fabula non in fruſtis lege, Eadem ſcæna.

Nunc quod occepi obſonatum pergam,

notabis *Quòd* poni pro *Quo*: & verſui ſuſtinendo interiectum D. nam *quòd occæpi* eſt, quo intendi, quo ire volui. tale eſt hoc Moſtellaria. *Hem tene. age i ſimul. Quòd ego eam, an ſcis?* Eadem fabula auferendi caſu tamen *quod* ſcribitur ab eadem cauſſa, ſcæna, *Sceleſtiorem.*

Manifeſta res eſt; niſi quod occurro prius.

Seruus Tranio pręſente hero in daniſtam incidit, a quo ad amicam liberandam argen-

tum ſumtum erat: itaque exterritus; atat, inquit, opprimor manifeſto miſer, & pateſcunt omnia, niſi aliquo commento prius occurrero. Sed ad Militem reuortor. in quo longo interuallo poſtea eſt.

Ne me ſurdum verbera, tu ſi audis. ego recte militi
Dabo, a tua mihi vxore dicam delatum & datum
Vt ſe deamet, conciliarem.

Suſpicabar eamdem rem ignoratam verſui maculam offudiſſe, vt paullo ante ſententiæ nebulam, rectiuſq. fore. *vt ſed eammet conciliaret:* pro, eampſe. ſed fortaſsis editio vetus Pij non male, *ſeſe ad eum conciliarem.* Vulgati quidem libri ferri non poſſunt. Præterea verſu primo gloſſema olet, *militi*; neque patitur verſus. In veteribus editionibus, *ego recte meis dabo.* veriſsime. & ſolent ad eum modum comici numeros commutare. Sticho. *Noui ego noſtros; exorabilis eſt, Noſtros*, ait; cum de ſolo patre loqueretur: vt hic, *meis*; cum de vno milite. Sequitur.

Ego eo intro igitur. PA. & præcepta ſobrie vt cures face.

Monui ſuperius de vulgatiſsimo errore, qui etiam hîc turbauit. tu mihi aſſentire, & corrige: *Ei, præcepta ſobrie.* Ei, i.

CAPVT III.

Procliue, planum. Porculena. Seminium. Cenſuræ multæ ad Militem. Rudentis locus de coniectura ſuppletus.

ASSENTIOR amiciſsimo meo nuper, nunc deſideratiſsimo Palmerio in mendo cubare illa Scæna *Rem omnem.*

Nempe tu nouiſti militem meum herum. AC. *rogare mirum eſt.*
Populi odium quin nouerim?

ſed medicinam aliter fieri oportere cenſeo, quam ille duobus verbis eiectis tentauit: ego mitius agendum arbitror, & inducto *eſt*, interpunctione cetera recte habitura confido. *rogare? mirum Populi odium quin nouerim!* cui coniecturæ & ſenſus huius loci, & verſuum ratio fauet. Sub finem ſcænæ verſus tranſpoſiti videntur: vt multis alijs huius poëtæ locis accidit. nam cum ita publice omnes libri habeant.

PE. *Abeamus ergo intro, hæc vti meditemur cogitate*
Ne quid vbi miles venerit, titubetur. AC. *tu morare,*
Vt accurate & commode hoc quod agendum eſt exſequamur.

concinnius tamen & venuſtius longe legetur, vt mea opinio eſt,

Abeamus ergo intro, hæc vti meditemur cogitate,
Vt accurate & commode hoc quod agendum eſt exſequamur.
Ne quid vbi miles venerit titubetur. AC. *tu morare.*

& ſolet in comœdijs ſcænas ſæpe claudere, *tu morare. num moror?* hîc quidem îta apte, vt neminem niſi ineptum aut maliuolum mihi non

aſſenſurum arbitrer. Scæna, *Iamne eſt ante ædis circus.*

Enim cognoui nunc, feciſti modo mihi ex procliuo palam rem.

Cum litterarum ſimilitudinem cõſidero, non pœnitet conieciſſe me, *ex procliuo planam rem:* aut, quod malim, *ex procliuo planum.* Procliuum, inclinatum vt fiat. nondum tamen certum, planum; exploratum, manifeſtum. & ita hęc ſibi etiam Aſinaria Plautus iocás opponit, *Nam iſthuc procliue eſt, quod iubes me plane collocare.* & ſane admodum inclinat animus credere, eandem venuſtatem ſermonis excidiſſe Rudente quoque, ſcæna *Serio ædepol,*

Eſtne hic vidulus, vbi ciſtellam tuam ineſſe aiebas? PÆ. is eſt.
GR. Perij hercle ego miſer, vt priuſquam plane aſpexit, illico
*Eum eſſe dixit. PÆ. Faciam ego hanc rem * planam tibi:*
Ciſtellam iſthic ineſſe oportet.

Deeſſe hic quædã verſus ratio arguit, & Lambinus in ſuis libris voces fugiẽtes & iam euanidas fuiſſe ait. quas quis audeat poſtulare ſe diuinando poſſe retrahere? tẽtat tamen Camerarius, *ex incerto planam.* Lambinus vero etiam edi voluit, *rem quam quæris planam tibi.* Liceat & mihi in his μικτοῖς aleam iacere, minore periculo ſi errem, quia libris quidem Plauti non infero. Puto ergo fuiſſe in lituris illis,

Faciam ego hanc rem ex procliui planam

Primum ob ſimilitudinẽ quam habet is locus,

cum hoc ex milite: deinde ab ipſa ſententia monitus. nam quæ procliue fecerat, eſſe inibi crepundia ſua, quia vidulum agnouerat; ea illud planum facturá ſe porro ait, dum memoriter narrat, quid illic contineatur. Inferius.

Non hic ſuo ſeminio quemque porculum impertituruſt.

Editiones antiquiſsimæ, *quamquam proculenam.* & malum illis librorum corruptoribus, qui mutarunt. Porculena porcula eſt; eadem forma, qua ſocienum, dubienum, alienum fecerunt. Et eleganter in hac re *ſeminium* dixit etiam Lactantius de Opificio Dei XII. *Vena in maribus, quæ ſeminium continet, duplex eſt.* ſic mss. nam vulgo non ita bene, *ſemen.*

CAPVT IV.

Eſcendere. Modice ſapis. Poſtibi. Interea loci. Proceſſum in Milite emendanda, illuſtranda. correctus Pacuuius.

PERPVSILLVM eſt, quod dicam: ſed dignum quod dicatur tamen, Scæna *Sequimini*,

Non tu ſcis cum ex alto puteo ſurſum
ad ſummum aſcenderis.

Vetuſte editos præferre, *deſcenderis.* abſurde, fateor; ſed vnde diluceſcit veritas. Legendum .n. antiqua ratione, *eſcenderis.* de qua ſcribſimus, & ſcribemus. etiam hoc taceri fortaſſe poterat,

——ſi præſenſerit
Miles, nihil hinc ferri poterit, huius nunc cum maxime
Opus eſt dolis.

ſed quod magnos viros monere aut puduit aut fugit, ego minutus monebo, aliter collocandam ὑποστιγμὴν. *nihil hinc ferri poterit huius: nunc c. m. o. e. dolis.* Nihil huius rei, inquit, quam ſtruimus confici poterit, ſi miles dolos olfecerit. quare nunc cum maxime dolis vtendum eſt caute. Deinde eſt.

——ille extemplo illam hortabitur,
Vt eat, vt properet, ne ſit matri mora. PL. multimodis ſapis

Excurrit hic verſus, & ſyllaba amplius trahit, quam per legem Pediam licet. Confirmabo hîc nihil, ſed de ſuſpicione dicam omnia. Nonius in Modicum e Plauti Milite laudat, *Modice ſapis*: quæ verba vide ne hinc ſumſerit vtenda a Pleuſide. certe quidem alius locus totius fabulæ nullus eſt, vbi eorum aut veſtigium aut mentio ſit: & qui vim aduerbij *modice* non ceperunt, facillime potuerunt reponere, *multimodis*. quod lex carminis culpæ arguit; alterum autem illud tantum non efflagitat. Scæna, *Hera eccum.*

viden vt tremit atque extimuit,
Poſtquam te aſpexit! PY. viri quoque armati idem faciunt, iube domum ire.
MI. Ne tu mirere melius mulierem. PV. ſed quid vult facere me?

M I. Adſedeas, tecum viuere volt atque ætatem exigere.

Locus inſignis, ſed in eo inſigne mendum mirũ latere tam diu potuiſſe. profecto enim vere conieci, ſcribſiſſe Plautum.

viri quoque armati idem iſthuc faciant.
Ne tu mirere mulierem M I. iube domum ire, melius eſt.

digero tantum verba, vt vides: quæ aberrauerant. Scita ancilla Milphidippa, vt ſcænam adiuuaret, viden' inquit, vt hera mea tuo aſpectu obſtupuit & contremuit! quæ res amoris magnitudinem oſtendit ita, vt nulla æque alia. Hic miles, vndecumque captans ſuas laudes, idem viri, ait, armati in acie faciunt, ne tu mirêre mulierem. quaſi vero eadem res tandem ſit. Ancillula, vt quamprimum technæ conficerentur, quæſo, inquit, iube eam domum ire. id melius erit. Ita diſtinguenda hæc, etiam probat militis reſponſum. *quid me vult facere?* nam ſi illa domum iret, quid ſe futurum eſſet animi pendebat, qui non minus cupiebat, quam illæ malæ merces ſe cupere ſimulabant. Eam dubitationem belle tollit ancillula. *Vult*, ait, *adſed eas.* ſic ſcribe in Plauto. oſtendit .n. ita legendum, quod ſequitur, *Ego ne ad illam eam.* nam D. littera interiecta locum vitiauit. Scæna, *Si alium alio pacto.*

Verum cum multos multa admiſſe acceperim,
Inhoneſtum propter amorem atque alienum a bonis.

Pij editio. *Inhoneſta.* neque dubito quin illo exemplo porro ſit mutandum, *atque aliena.* Scęna proxima.

Ibo quamquam inuita facio omnia. pietas ſic cohibet. P L. ſapis,

Illud, *omnia*, perſpicue irrepticium, numeris repudiantibus. Scęna vltima.

C A. Verberetur etiam, poſt tibi amittendum cenſeo.

Melius eſt, *poſtibi*. comicum n. id eſt Plauti maxime verbum. Pœnulo. *Poſtibi qui eum ſurripuit, huc deuexit.* tale eſt quod paſsim occurrit in bonis ſcriptoribus, *interea loci.* id reſtituo Pacuuio apud Nonium in Flucti,

——— *interea loci.*

Flucti flacciſcunt, ſileſcunt venti, mollitur mare.

nam in omnibus exemplaribus eſt, *interea loca*, nulla bona ſententia.

CAPVT V.

Locus Terentij a Plauto. idem emaculatus Adelphis.

TERENTIVM Plauti imitatione meliorem factum ſæpe dixi, &, vt mea fert opinio, etiam exemplis planum feci. cuiuſmodi & hoc eſt, quod nunc proferam ex hac fabula, ſcæna *Cohibete intra limen.*

P A. Nimis bona ratione nimiumq. aperta tu multum vides.

Et tibi ſunt gemini, & trigemini, ſi te bene habes, filij.

PE. Pol ſi habuiſſem, ſatis cepiſſem miſeriarum liberis,
Cenſerem emori, cecidiſſet ne ebrius, aut de equo vſpiam,
Metuerem ne vbi defregiſſet crura aut ceruices ſibi.

Hanc parentum ſollicitudinem adumbrauit ex Vmbro noſtro Afer ille Adelphis, verbis Micionis.

Ego, quia non redijt filius, quæ cogito!
Quibus nunc ſollicitor rebus! ne aut ille alſerit,
Aut vſpiam ceciderit, aut præfegerit.
Aliquid.

Vides etiam venuſtiora feciſſe, quæ aliunde acceperat. ſed ijſdem Adelphis, quoniam hîc ſum, non tacebo quid mihi de vno & altero præterea loco videatur. Scæna ea quæ hanc ſequitur vulgo vulgant.

nam ſi eſſet, vnde id fieret,
Faceremus; & tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet.

verum duo mss. mei, quos antiquiſsimos habui, liquido ſcribunt, *dum per ætatem decet*. quod valde arridet. profectò enim magis de nõ decet hanc ætatem tali ludo ludere, quã licet: & ſolent poëtæ eum genio noſtro ne deſimus hortantur, eo quoque argumento vti, futurum vt ætate prouectos hæc ludicra nòn deceat Tibullus.

Iam ſubrepet iners ætas. nec amare decebit.
Dicere nec cano blanditias capite.

Scæna *Numquam ita.*

Ita eos meo labore eductos maxumo hic fecit ſuos
Paullo ſumtu: miſeriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
Age age nunc experiamur contra hæc quid ego poßiem,
Blande dicere, aut benigne facere quãdo eo prouocat.

Multo venuſtius fore arbitror, ſi ſcribſeris. *experiamur contra ecquid ego poßiem Blande dicere.* & error librariorum tralatitius eſt. Etiam illa mihi ſuſpecta mendi ſcæna *Iubet frater.*

Poſtremo non meum illud verbum facio, quod tu Micio.
Bene & ſapienter dixti dudum: vitium commune omnium eſt,
Quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus hanc maculam nos decet.
Effugere.

nam verius cenſeo, *Poſtremo nũc meum illud verbum facio.* Quæ tua, inquit, ſentẽtia modo fuit, cum me recte & ordine reprehenderes, eam nunc facio meam; & totidẽ verbis te moneo.

CAPVT VI.

Commune cretenſium. Per erat moleſtum. Cicero ſuaſione legis Maniliæ correctus.

ETIAM nũc lubet pergere, & appendicẽ Plautinis addere ex M. Tullio. cui⁹ elegantẽ locũ cõſtituiſſe me arbitror, in ſuaſione legis Maniliæ, ſiue, vt meæ mẽ-

branæ conſtanter & recte habent, de Imperio Cn. Pompeij. ſed vide, Io. Paſſerati, ſi probare potes animi mei ſuſpicionem. Ait Cicero.

Age vero, illa res quantam declarat eiuſdem hominis apud hoſtes populi Ro. auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tam diuerſis, omnes vna huic ſe dediderunt? quod Cretenſium legati, cum in eorum inſula noſter imperator exercituſq. eſſet, ad Cn. Pōpeium in vltimas prope terras venerunt, eiq. ſe omnes Cretenſium ciuitates dedere velle dixerūt? Quid? idem ipſe Mitridates nonne ad eumdem Cn. Pompeium legatum vſque in Hiſpaniam miſit? eumq. Pompeius legatum ſemper iudicauit? ij, quibus ſemper erat moleſtum ad eum potiſſimum miſſum, ſpeculatorem quam legatum iudicare maluerunt.

Quis ſuſpicetur in his tam ornate & grauiter decurrentibus verbis de mendō? non ego mehercule: niſi me optimi & vetuſtiſsimi libri mouiſſent. & habet hoc Cicero, vt granditas ſplendidiſsimæ orationis facilius occultet pluſculas culpas, quas haud fere extrahere poſsis ſine iſtorum indicū ſagaci proditione. Primo igitur tres mei, Turingicus, Vuerdēſis, Colonienſis baſilicanus, *Omnes vni ſe huic dediderunt.* verius. nam vna qui potuerunt tam diuerſi & diſsiti? etiam ex ſuperioribus illis conſtat ita eſſe ſcribendum, *partim vnius huius imperio ac poteſtati ſe dediderunt.* Deinde in Baſilicano liquido & ſine litura eſt, *Quod communi Cretenſium legati.* de quo eo acrius cogitaui, quo perſpectior mihi harum membranarum

rum

rum mirifica & ſingularis bonitas erat. Sed non difficulter extricaui, quod tu certe probabis, Palſerati. nam littera vna adiecta ſcribo. *Quod a communi Cretenſium legati.* Nugas egero, ſi docere coner pluribus, Græcis κοινὸν ἀσίας; σικελίας, βιθυνίας, λυκίων, κυπρίων dici; & ea Latinos reddere, Commune Aſiæ, Siciliæ, Bithyniæ, Lyciorum, Cypriorum. In medio nummi & marmora, quæ teſtantur; & nota Ciceronis loca, Frumentaria in Verrem. *Cui ſtatuæ ſtant Romæ inaurata a communi Siliciæ, quemadmodum inſcriptum videmus, data.* Et iterum. *Quis appellare auderet, cum videret ſtatuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, a cõmuni Siciliæ?* In eumdẽ Quæſtura. *Pro quæſtore vero quomodo iſte commune Miliadum vexarit.* Sic ergo hîc a communi Cretenſium legatos miſſos ait, hoc eſt, communiter ab omnibus Cretenſium populis. neque aliter ſane omnes Cretenſium ciuitates Pompeio dedere potuerunt. Et quamuis aliter ſit, tamen in hac cauſſa & in Pompeiana laude commodum eſt M. Tullio temporis hoc cauſſa, vt multa, iactare. re quidem ipſa Põpeius deditici js Cretenſibus recipiendis labẽ & maculam nomini ſuo perſpicuæ maliuolentiæ inuſsit. de quo videndus Plutarchus. Deinde in eodem baſilicano, *Quid idem iſti Mithridates..* vt plane rectũ arbitrer, quod repperit amicus tuus vir clariſsimus D. Lãbinus, *iſte.* Mox idẽ & Vuerdenſis, *eum quem legatum.* admodũ quã ſuauiter, & valde Ciceroniane. Sequenti mẽbro aberat a Baſilicano, *ſemper*; quod ceteri

tamen tres mei agnoſcunt. Sed non temere optimus ille errare ſolet. vide ergo ne emendãdum ſit potius mutatione non magna. *ij quibus per erat moleſtũ, ad eum potiſsimũ miſſum*. Suſpicor enim ad hęſiſſe S a fine præcedentis vocis ad ſequentem & factum *ſper*; ex quo porro a properantibus librarijs, *ſemper*. Amat quidem hanc tmeſin Cicero noſter. ad Atticum libri I. poſtrema epiſtola. *Per mihi, per, inquam, gratum feceris.* & libri V. ep. X. *Per mihi erit gratum, ſi id curaris ad me perferendum.* etiam. X. ep. I. *Per enim magni æſtimo tibi firmitudinem animi noſtri & factum noſtrum probari.* Poſtremo ijdem libri, *iudicari.* Alia ad hunc librum plurima ſuo tempore & loco. nunc hæc conſidera, doctiſsime Paſſerati.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI MERCATOREM QVÆSTIONES.

I. G. PETRO DANIELI IC. S.

P. Virgilij ambroſia & nectare libenter & ſæpe victito; etenim bene libenter victito. ſed patere hoc a me tibi libere dici, P. Daniel: numquam illas tam delicatas lautitias reguſto, quin tacitò cogitationis flagitio te verberem. Scis profecto quid arti Muſicæ, quid nobis amatoribus Muſarũ, quid tibi ipſi debeas. quo magis viſo opus eſt, ne publice, immunis; priuatim, etiam crudelis exiſtimere: qui nobis, tantum beneficiũ; tibi, talem gloriã tamdiu inuideas. Quare cum dijs beneuolentibus Seruium tuũ, illud rei antiquariæ prõtuarium, adorna, & in publicũ, ſumma tua cum laude, tandẽ emitte. Quãtopere doctos & eoſdẽ bonos viros tibi ſis obſtrictuꝰ, ex eo perſpice; quod ſolo guſtu paucisſimarũ partiũ ſpẽ omniũ arrexeris, & eã exſpectationẽ cõmoueris, vt vel in primis te numeremus, a quo augeri & ornari bonæ litteræ maxime poſsint: neque libris tantũ tuis & copioſiſsima bibliotheca; ſed etiam ſtudio & vberrima doctrina: quæ vtraque hic te adhibere valde velim, dum Plautina hæc noſtra recenſeas, rogatu meo: quæ ita vt correxi reſcribenda ſane cenſeo, niſi tu diſſentias.

tis malis verbis oneratus. quod ipſum verbum ea cauſſa libenter hîc,ex ſententia certe, repoſuerim. *onerat ſuo cum patre*. nam ſuadere videtur ipſe Plautus, in quo hac eadem de re eſt. *Quibus eſt dictis dignus oneremus vſque ambo.* Sequitur prologo,

Amare valide cœpi hic meretricem illico
Res exulatum ad illam abibat iam patris.

Vbi malim, *clam patris*. & id magis probat lex ludicra,qua hęc fabula concluditur. *Si quis prohibuerit,plus perdet clam, quam ſi prahibuerit palam.* Leuiuſculum erit,ſed monebo tamen,tertio ab hoc verſu,

Obiurgare pater hæc me noctes & dies,

potius ſcribi debere, *heic me*. & mendi occaſio diphtongus fuit, quam pauci in eo aduerbio exprimunt,aut agnoſcunt.Paucis poſt verſibus eſt,

Omnes tenerent mutuanti credere.

ſed veterrima quæque editio,*mutuitanti*.quod poſteriores mutaſſe nollem. nam quid mouit eos?an non hæc huiuſmodi verba præter eam, quæ omnibus nota,frequentandi ſignificationem, etiam cupiditatem interdum, & conatum notant? Certe *venditare* eſt venditionis cauſſa oſtentare,vendere cupere. ita hic *mutuitanti*, mutuari geſtienti, vt mutuetur omnia molienti. Deinde eſt.

Rationem peſſumam eſſe,ea quæ ipſus optuma,
Omnes labores inueniſſet per feros
Amoris vi diffunditari ac deteri.
Conuicium tot me annos iam ſi paſceret.

Ferri hæc poſſent ; tametſi verſus poſtremi ſententia parum arguta exit; ſed ferri poſſent, abſq. mss.eſſet,in quibus auorum iam memoria repperit Baptiſta Pius, *diffunditari ac didere.* Valde hoc placet ; ſed vt locus totus emaculetur,ita reſcribendum exiſtimo,

Amoris vi diffunditare,ac didere
Conuicium tot me annos iam ſi poſcerem.

Peſsime mecum agitur,ait ſenex, ſi quæ ego optima ratione & magnis laboribus peperi bona,ea tu adoleſcentum dedecus modis peſſimis& amoribus te poſtulas dilapidare ac diſperdere. *Didere* eſt diſpergere, &, vt Donatus interpretatur, diffundere in multos. & præclare ex illo grammatico noſter Palmerius Phormione reſtituit,

Quod ne ego perſcribſi porro alijs ac dididi?

tametſi ego paullo propius ad libros Terentij cenſeam poſſe reſcribi,

Quod ne ego perſcribſi porro ijs quibus dididi?

nam iocus ex inopinato eſt. perſcribebantur pecuniæ,quibus deberentur ; at hic ijs ſe perſcribſiſſe ait,quibus dididerat.

CAPVT II.

Inmundus ruſticus. Placide,propere. Electare. Multa hac fabula correcta,declarata.

PAVCIS poſt verſibus ſequitur eodem Prologo.

——adeo arte cohibitum eſſe ſe a patre,
Multo opere inmũdo ruſtico ſe exercitũ:

Neque niſi quinto anno quoque poſſe tum viſere Vrbem.

Inmundum ruſticum ſordes agreſtium vocat opinor.nam ita iam malim,quam diuiſo verbo , *in mundo ruſtico*. Tertullianus de habitu muliebri. *Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant:ornatum, quem inmundum muliebrem conuenit dici.* tametſi alterum illud recte etiam hîc retineri poteſt , vt nuper ex Appuleio oſtendi. Deinde correxerim,

Neque niſi quinto anno quoque aſſuetum viſere.

Sequitur enim ſtatim , *rus exigi ſolitum a patre.* quod verbum huic reſpondet. Paullo poſt hęc ſunt,

Agrum ſe vendidiſſe atque ea pecunia
Nauim,metretas quæ trecentas tolleret,
Paraſſe,atque ea ſemper cis vectatum vndique,
Adeo dum quæſtum haberet,peperiſſet bona.

Manifeſtus vitij ex his verſus tertius. quid enim ſignificet, *ſemper cis vectatũ vndique?* Emendat ingenioſe, vt omnia , eruditiſsimus Scaliger , *atque eapſe merces vectatum vndique.* Paullo propius antiquam ſcripturam ego,

Paraſſe,atque ea ſe in Perſis vectatum vndique.

& conuenit aptiſsime ſentẽtia. Solebant enim Attici ciues in Perſiam, aut Aſiam, aut Ægyptũ rei quærundæ cauſſa nauigare; tum illic circumuehi & mercaturæ operam dare , donec onuſti opibus & quæſtu magno facto de reditu cogitarent. Id ex Perſa, Moſtellaria, Sticho, Trinũmo huius noſtri clariſsime videre eſt, & multis Terentij locis. Verũtamen eruditorum

iudicium ſit, vtra harum emendationum verior, melior. Illud ſcæna, *Ex ſummis opibus*, non recte multi capiunt.

Loquere id negotij quicquid eſt. AC. placide volo
acquieſcere.

non enim hoc dicit ſeruulus, velle ſe placide quieſcere: ſed iubet herum placide ſingula exquirere. ſibi enim curſu defatigato quiete opꝰ eſſe. itaque ſic interpungo, *placide: volo acquieſcere. Placide*, lente, cum mora, paullatim, cui e regione reſpondet, *propere*. Milite. *Propere hoc non placide decet.* Sub finem ſcænæ,

——— *ea ego huc præcucurri gratia,*
Ne te opprimeret imprudentem, atque electaret,

Electare, rogando & appellando blande elicere, erogitare. ſic in vſu multo ſunt, *delectare, prolectare*. caue audias interpretem qui reſcribit, *eluctare*.

CAPVT III.

Animi, linguæ decem. Cæcilij fabula Molitrix. Quid ſi vnum faciam? Cenſuræ pluſculæ ad Mercatorem.

SCÆNA ſequenti lepidum ſomnium Demipho commemorat, & nimium præſenti euētu. ſcias non Sabinos ſolum, vt habet vetus adagio, ſed etiam poëtas, quod volunt, ſomniare. ſed librariorum, vt puto, incuria verſus trāſpoſiti loco ſuo emigrarunt illic,

Reſpondet, ni properem illam ab ſeſe abducere,
Ad me intro domum ad vxorem ductū meam,

Aſt non habere cui commendarem capram:
Atque oppido hercle bene velle illi viſus ſum,
Quo magis quid facerem cura cruciabar miſer.

Concinnior enim ſententia erit, meo iudicio, ſi ſcribemus.

Atque oppido hercle bene velle illi viſus ſum,
Aſt non habere, cui commendarem capram,
Quo magis quid facerem, cura cruciabar miſer.

Cauſſas ſollicitudinis duas ponit ſuam beniuolentiam in capellam, & quod eam abſtrudere nuſquam poſſet. Aliquanto poſt.

——— *atque ego conſpicor*
Nauem ex Rhodo qua heri eſt aduectus filius,
Collibitum eſt illud mihi neſcio quî, viſere.

Sincerius exiſtimo, *Collibitum eſt illuc.* notæ formulæ, *ad forum, in theatrum, domum viſere.* Non grauius eſt, ſed non tacebo ſcæna proxima,

Ne ſis, ne obiurga. hoc non voluntas me impulit.

Hôc antique ratione ſcribendi eſſe *huc.* Ea quę hanc continenter ſubſequitur,

Ita animi decem in pectore incerti certant.

Senarium non male recolligo, vna voce traiecta.

Ita animi in pectore incerti certant decem.

Sic Bacchidibus decem linguas dixit, ἀντὶ πολλῶν. *Qui ſi decem habeas linguas mutum eſſe addecet.* Non hinc longe.

Per mare vt vectus, nunc oculi terrā mirantur tui
CH. Magis opinor. DE. id eſt profecto.

Perſonæ indices litteras aliter colloco, *nunc oculi terrā mirantur tui Magis. CH. opinor. DE. id eſt,* Scilicet qui diu in mari vectus erat, magis ter-

ram mirabatur, quam ſolitus erat. Multis interiectis verſibus ſequitur.

Nihil opus nobis ancilla, niſi quæ texat, quæ molat.
Lignum cædat, penſum faciat, ædis verrat, vapulet,
Quæq. habeat cottidianum familiæ coctum cibum,

Coquam verſu poſtremo ſignificat, & quæ panem faciat; non, vt cenſet amicus meus, auide obſtrudat: primo, ancillam molitricem: cuius nomine Cæcilius fabulam docuit. nam qui eum titulum in rem obſcenam trahunt, obſceni ipſi ſunt. Scæna, *Adducam ego illum.*

DE. Scio pol te amare, quom iſthæc præmonſtras mihi
Quid ſi igitur vnum, factum hoc ſi cenſes, coquum
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat.

Sane quam eleganter emendat Palmerius, *Quid igitur ſi hoc bonum factum cenſes.* ſed tamen alia omnia vt cenſeam, faciunt editiones antiquæ, in quibus eſt: *vnum factam.* nam negari nõ poteſt probabilius hæc a me correcta vnius litteræ mutatione,

Quid ſi igitur vnum faciam? hoc ſi cenſes, coquum.

& alludit ad ſuperius a ſe dicta Demipho, *Quid aliud faciam?*

CAPVT IV.

Pectus ardet. virum auet. Experiri. Concedere. Lege ſe tenere. Hæc fabula correcta, & a corruptelis defenſa pluries.

SCÆNA, *Sum ne ego.*

——— e heu diſperij, vultus neutiquam huius placet.

Triſtis incedit, pectus ardet: hæreo, quaſſat caput.

Non placet vbique tricari, & hulcus quærere non curare. Verba hæc inconſtantis & pæne amentis exſpectatione adoleſcentis ſunt. Itaque cum videret triſtem aduenire Eutychum, *pectus ardet*; ait hoc eſt, diſcrucior animi maximo angore. nã in ſummo dolore hanc formulam vſitatam docet Cicero his poëtæ veteris verbis,

Nunc demum mi animus ardet.

quibus e contrario & tamquam e regione reſpondere cenſet illa geſtientis lætitia,

Tanta lætitia auctus ſum, vt mihi non conſtem.

Etiam de illo variæ ſententiæ ſunt, ſcæna *Agite ite.*

Haccine tua eſt amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, cum obſonabas. LY. non taces?
CO. Satis ſcitum filum mulieris, verum hercle amat.

Veteres libri, *Verum hercle auet.* mihi quod ſimpliciſsimum eſt, idem veriſsimum videtur, *veirum hercle auet.* vt deſignarit viroſam eſſe, & ſibi virum quærere. quod maxime ſolent, quibus forma ſua digna videtur, vt colatur & exerceatur. Sequitur.

Vin me experiri? LY. nolo. CO. mercedem cedo.

Emendatur argute, *expediri*, ſed non vere. Experimur mercennarios, cum eorum opera

vtimur. ſupra hac fabula *Vin tute mihi eſſe obſequentem, an neuis. AC. opera licet Experiri.* Et hoc rogat cocus, velit ne operam ſuam experiri in percoquendo prandio Lyſimachus: cum abnueret ille; at tu, inquit, mercedem cedo, quæ conducto debetur. Sed nec illud mutari neceſſitas vlla cogit ſcæna, *Diûum atque hominum.*

Non concedam, neque quieſcam vſquam noctu neque interdius.

Concedere enim eſt quieſcendi cauſſa aut cõſiſtẽdi in locum quempiam ſecedere. Rudẽte. *Paulliſper remitte reſtem, dum concedo & cõſulo.* Sed ea ſcæna, a qua hoc caput exorſus ſum, hoc verſu.

Certum eſt præconum iubere iam quamtum eſt conducier.

malo veteres libros ſequi, in quibus; *præconîum.* is gignendi caſus antiquus eſt, etiam Ciceroni non vitatus pro P. Quinctio. *Tollitur ab atrijs Licinijs atque a præconium conſeſſu in Galliam Næuius.* ſic membranæ, quarum auctoritatem nos non contemnemus. Longe hinc infra.

Omnibus me ludificatur hic me modis. ego ſtultior,
Qui iſti credam. commoratur. chlamydem ſumam denuo.

Verius cenſeo, *Qui iſti credam, commorator.* certe venuſtius in ſe dixerit, qui ſibi moram obceeret ipſi, dum Charino auſcultaret. Scæna poſtremo, illud

——— dicamus ſenibus leges cenſeo,
Priuſquam abeamus; quas leges teneant, contentiq. ſint.

Vulgarius mihi videtur, *leges tenere*, & vix dignum Plauto. pollula certe mutatione politiſſimam loquendi formam reſtituas. *qua ſe lege teneant, contentiq. ſint.* Sic Lucillius.

His te verſibus interea contentus teneto.

neque eſt quod quem moueat numeri mutatio, quam inferius iterũ perſequitur. *Hæc adeo vt ex hacce nocte lex primum teneat ſenes.* nihil tamen nimium confirmo.

CAPVT V.

Expetere, in euentu & pœna. Locus Ciceronis de Prouincijs conſularibus conſtitutus a coniectura; alter indidem e libris veteribus.

PRÆCLARA oratio eſt M. Tullij de prouincijs conſularibus, & multis eloquentię luminibus inſignita. ſed in primo aditu locus ſubobſcurus & parũ elegans ceteram venuſtatem deformat, & flumen verborum ſplendidiſsimorum turbat ſalebra ſua. de quo te conſulo, P. Daniel, vt adhibitis in conſilium libris tuis probiſsimæ antiquitatis, pronuncies. Verba hæc ſunt,

Magno hoc dico cum dolore; miſerandum in modũ milites populi Rom, capti, necati, deſerti, diſsipati ſunt incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumti, vt quod eſt indigniſsimum ſcelus, is imperator in pœnam exercitus eſſe videatur.

Mendoſa perſpicue. a quibus enim expetitus imperator Piſo? certe non a prouincialibus. at

a populo Romano? multo minus. E meis mẽbranis Turingicæ & Gemblacenſes habuerũt, *vt quod eſt indigniſſimum ſcelus imperatoris, in pœnam exercitus expetitus eſſe videatur.* Volunt videlicet exercitum a Piſone eo expetitum, vt omnibus iniurijs perderet. Verum hæc etiam ſententia parum idonea, & quam multo illuſtrioribus verbis Cicero extuliſſet. Mirum, ni recte ego interpunxi & emẽdaui; *vt quod eſt indigniſſimum, ſcelus imperatoris in pœnam exercitus expetiſſe videatur. Expetere* antiqua nota valet idem fere quod, *euenire.* Milite Plauti,

Satine eadem vigilanti expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?

ſed in re mala in primis & ſupplicio poniamat: cũ pœna merito an immerito tuo tibi præſeſt. Amphitruone *Cuius ego in tergo ſaxo iſta expetant mendacia.* Eadẽ. *Nequiter pœne expetiuit prima paraſitatio.* & rurſum. *Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim, Id Alcumenæ innocenti ſi expetat.* Denique ibidem. *Suamq. vt culpam in mortalem expetere vt ſinat.* Vides ſententiam; ſcelus imperatoris, qui neglectis auſpiciis, omni iure diuino atque humano perturbato in prouinciam ierat, in innocentium militum exitium & pœnam a dis eſſe conuerſum. neque me fefellit, vt ſpero, diuinatio mea hoc loco; nunc alterũ adijciam, cui ex ijſdem libris meis ad ſenſum non ita multum, ad ornatum plurimum accedet. Habent editiones.

Ego vos intelligo P. C. multos decreuiſſe eximios honores C. Cæſari ac prope ſingulares, quod ita me-

ritus erat: gratis etiam, vt quam coniunctiſſimus huic ordini eſſet. Sapientes ac diuini fuiſtis. neminē vmquam eſt hic ordo complexus honoribus & beneficiis ſuis, qui vllam dignitatem præſtabiliorem ea, quam per vos eſſet adeptus, putarit.

Membranæ, *E. vos i. P. C. m. d. e. h. C. C. ac prope ſingulares, quod erat meritus, gratis; ſin etiam, vt quam coniunctiſſimus huic ordini eſſet, ſapientes ac diuini fuiſtis.* Senſus valde bonus eſt: affectum C. Cæſarem a ſenatu maximis honoribus, & id gratis nulla mercede exſpectata, ob ſola illius in remp. merita; ſed tamen ſi idem ſenatus eam mercedem a Cęſare exſpectarit, vt in poſterum iſti ordini eſſet amicior, non erraſſe ait Cicero, ſed ſapientia ſua rem dignam feciſſe.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI PSEVDOLVM QVÆSTIONES.

I. G. IVSTO LIPSIO V. CL. S.

NARRO tibi, Iuſte Lipſi. valde amo familiarem tuum, M. Attium Plautum; adeoq. cum a Cicerone diſceſsi, veterum magiſtrorum, quos e Latio habemus neminem magis: & fuiſſe illum olim etiã huic in primis amoribus, permulta declarant. verborum maxime vncta & lauta ſupellex, quam in loco, & cum opus eſt, libentiſsime a comico choragio noſtri poëtæ mutuatur. Neque hoc mihi Suada perſuaſerit vmquam, vt aliter ſentiam; tametſi ſumma vi renitantur inueſtes ex Arpinati ſchola pueri, quos tu vocas. etiam audire memini quemdam gentis Iuniæ, qui confirmaret, Plautinum ſermonem, præ Ciceronis, allium & tallas olere, & nautarum veſtratium reſipere nauteam. Quid quæris? ridebam multum. ridebam? immo ringebar etiam non mediocriter, & illud tacitus mecum ruminabar, *Nimis vellem habere perticam!* noſti quę ſequantur. Sed M. Tullj ſtudium Plautinum erit for-

taſſe

taſſe cum illuſtrabo : nunc beniuolentiam meàm in humaniſsimum & facetiſsimum congerronem teſtabor ope, quam circumuento a barbaris tuli. & præfiſcini hoc dixero, Lipſi : meruiſſe videor, vt etiam mihi ille nonnihil debeat. de quo tamen optimus cenſor tu eris, cuius ore & ſcriptis Plautinæ Muſæ, quæ oblanguerant, oculos tollere, & cum valitudine colorem ingenuum hac ætate recipere cœperunt.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI PSEVDOLVM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Alia his. Bona ani, opera mala. emendatus Plautus hac fabula & Perſa.

PSEVDOLI prologo nimis aperta macula omnes libros obſidet,

Vbi lepos, ioci, riſus, vinum, ebrietas decent,
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio.
Qui quærit alta, is malum videtur quærere,

Primis verſibus mallem ſanè *iocus*, & altero, *Gratia*, numero vnitatis: vt omnia ſibi æqualia eſſent. & apparet auctorem prologi reſpexiſſe ad locum Bacchidum. *Iocus ludus, ſermo, ſuauis ſaniatio, Amor, voluptas, Venus, venuſtas, gaudium* Tertio, omnino corrigendum moneo. *Qui quærit alia his, malum v. q.* Alia his, ab his diuerſa, his pugnantia. Hiratius. *Alium ſapiente bonoque.* Scæna prima.

Spero alicunde hodie me bona opera aut hac mea
Tibi inuenturum eſſe auxilium argentarium.

Vlcus ὕπουλον ſub eſt, idq. vel librorum varietas indicat, quorũ alij ita vt ſcribſi, alij & ij vetuſtiſsime editi habent, *bona opera aut mala.* Viſa mihi pedum eſt via, & ſequor. nam ſuſpicor ſcribſiſſe Plautum,

Spero alicunde hodie me bona aui, opera mala.

Litterulæ ſolius mutationẽ mihi indulſi. nam tranſpoſitam vocem, nihil mirum. quod millies in Plauto factum eſt. Simile eſt illud veteris poetæ apud M. Tullium.

Soluere imperat ſecundo rumore atque aduerſa ani. ſic hoc loco Pſeudolus inuenturum ſe argentum pollicetur aui bona, opera mala. De auſpicio etiam infra agit. *Aui ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia Confidentia eſt inimicos meos me poſſe perdere.* Mala opera eſt, alteri damnoſa, cuiuſmodi ſeruorum cum heros argento circumducunt. Capteiueis. *Sed hoc mihi ægre eſt, me huic dediſſe operã malã Qui nunc propter me meaq. verba vinctus eſt.* neque alia opera ſeruorũ vlla cũ heris minorib⁹ pecunia ſubueniũt. Aſinaria,

Hic inerunt viginti minæ bonæ mala opera partæ.

Ecce, *bonas minas ait, operam malam:* ludens eadem ἀντιθέτῳ quo hîc, *bona aui opera mala*? Et ad malam operam ſeruorum reſpici puto etiam Perſa. nam leno emta paraſiti filia cum pulcre ſeruum Toxilum ſibi conciliaſſe crederet, ait *immo equidem Toxile tibi gratiam habeo. nam ſenſi te ſedulo Mihi dare bonam operam* reſpondet ſeruus conſcius fallaciæ ſibi ſuæ. *tibin ego? immo ſerui.* Sic veteres & recentes editiones, Lambinus maluit, *ſerio*: ego, *ſeruij*. Et arguta hîc etiam ἀμφιβολία eſt. Seruire.n. ij nobis dicuntur qui commodis noſtris ope, conſilio, ſtudio ſuo adſunt. quod feciſſe Toxilum de eius verbis intelligit Dordalus. at ille ſignificat, *immo ſeruij*. id eſt, cuiuſmodi ſeruus verſutus & nequam ſolet eiuſmodi operam dedi ti-

bi, damnoſam videlicet. nam Seruij a ſeruis. neque me fugit multis placere, *mala opera aut hac mea*. vt manu ſe vſurum dixerit male. quod frigidum eſt, præ noſtro; & certe falſum. neque enim furto aut rapina, ſed fraude & fallacijs rem conficit. Scæna proxima.

Intro abite, atque hæc cito celebrate, ne mora quæ ſit, cocus cum veniat.

Scio quid ſit, *imperium celebre*, & *imperium celebrare*, verum hoc loco ſentẽtia poſtulat potius, *atque hæc cito celerate.*

CAPVT II.

Occedere. Dictis dapſilis. Emendatus Feſtus. item Pſeudolus, Stichus, Trinummus Plauti.

FVGIT acumen Scaligeri illuſtris in Feſto locus, quem perſanabo Plauti cauſſa. *Occidamus*, inquit, *Plautus ponit pro contra cedamus. cũ plurimæ aliæ præpoſitiones familiariores huic verbo ſint.* Emendaui, *Occedamus*. nam de præpoſitionibus alijs quod ait, quid frequentius in quouis latino ſcriptore his verbis? Accedere, Concedere, Decedere, Incedere, Procedere, Succedere, &c. at Occedere Plauti proprium & familiare. Aſinaria.

Quiſque obuiã huic hîc occeſſerit irato vapulabit.

& iterum ibidem.

Ne tu hercle cũ magno malo tuo obuiam occeſſiſti.

ſed ſatin acceptum tibi erit, recte a me locum Feſti conſtitutum, ſi ipſiſsimum illud *Occedamus* e Plauto eruero? eccillum ergo in mor-

bo languidum hac ipſa Pſeudolo, ſcæna, *Pſeudole non audis.*

C A. reprehende hominem, aſſequere.
B A. i puere. P S. accedamus hac obuiam. B A.
Iuppiter te perdat, quiſquis es.

nam reſcribendum haud dubio, *occedamus hac obuiam.* &, fatebor, admodum placui mihi hac coniectura: cum audio recens nuper in Gallia eadem omnia ſentire Io. Paſſeratium, virum in his litteris noſtris & ingenio & doctrina maximum. Hoc igitur diſsimulare nolui, & quia tanto ſuffragatore ſtabiliri videbam ſententiam noſtram, & ne prudẽs ſciens in ea, quæ ante me ab alio dicta, incurrerem. Hoc adijciam, eandem formulam reponendum mihi videri Sticho.

Bona ſcæua ſtrenaq. obuiam occeſsit mihi

& Trinummo etiam,

Modo mi aduenienti nugator quidam occeſsit obuiam.

etſi vtrobique libri vulgarij, *acceſsit obuiam.* verum culpam arguunt vel illa ex Aſinaria, quæ ſola viſcatas manus librariorum effugere potuerunt. Scæna, *Poſtquam illhic.*

———poſtquam herili filio
Largitus dictis dapſilis: vbi ſunt ea?

Diſtinguo, *poſtquam herili filio Largitus, dictis dapſilis.* Dictis dapſilem dixit Epidico oratione beneficum. aut certe bis ſumendum, *dictis*: vt multa multis locis alia.

CAPVT III.

Pædagogi. Solere. Drachmis eſſe. Coquinare an coquitare? Multæ ad hanc fabulam cenſuræ. falſa fragmenta reiecta.

INFINITVM ſit perſequi minima quæque in Plauti fabulis menda. nam nimia quanta multitudo eſt; moleſtiæq. ſat ſcio magnæ erunt non vi ſua, ſed numero, quiſquis is erit Hercules, qui Plautum a vertice ad talos perpurgandum ſumſerit. ſi quæ tamen venuſtatem ſententię leuiter contaminarunt, ea non præterijmus hac tumultuaria opera. tale illud eſt Scæna, *Si de damnoſis*.

Hic mihi corrumpit filium, ſcelerum caput,
Hic dux, hic ille eſt pædagogus, hunc ego
Cupio excruciari.

nam rectius opinor, *hic illi eſt pædagogus*. Pædagogi pueris ingenuis ſerui erant, & manebant vſque dum adoleſcerent. Mercatore. *Seruum vna mittit, qui vna a puero paruulo Mihi pædagogus fuerat.* at hîc alias ad res pædagogum filio ſuo Pſeudolum ſenex innuit. nam vt illi ad virtutem & doctrinam hortamento, ſic hunc ad nequitiam & libidinem eſſe, Paullo poſt.

Tibi auſcultabo. PS. itur ad te Pſeudole.

tolle e fragmentis hemiſtichium poſterius. nam hinc Seruius depromſit. neque recte in ijſdem fragmentis penus ponunt; quaſi non

exſtet in hac fabula eodem fere loco, ita vt ſariſius monuit, virili & neutro genere, in imperioſa illa Ballionis editione. *Nam niſi penus annuus hodie conuenit.* neque ita multis verſibus interiectis. *Niſi mihi hodie ex fundis tuorum amicorũ omne huc penus affertur.* Scæna, *Cui ſeruitutẽ.*

Qui amet me, vt curet tandem nitidiuſcule.

Scribo, *vt curer.* nam in lenonia familia lautius curãtur, qui amatorculos facile inueniũt. ij enim domino quæſtuoſi. Illico ſequitur,

Neque ego illud poſſum, quod illi qui poſſunt, ſolent.

Ingenioſe amicus noſter Io. Mercerus ſummę ſpei adoleſcens, *quod illi poſſunt, qui ſolent.* Solêre, obſcænum verbum, & in re veneris proprium. Ciſtellaria. *Cum viris ſuis prædicant nos ſolere.* Hîc ergo *qui ſolent*, pueri meritorij. Scæna, *Forum coquinum.*

Illi drachmis iſſent, miſeri, me nemo poteſt
Minoris quiſquam nummo vt ſurgam ſubigere.

Lambinus in mss. repperiri ait, *Illi drachmiſſant miſeri*; etiam explicat, vt verbum comicum, drachmiſſare. quod ego ne coquinis quidem Romanis dignum cenſeo. Potius eſt littera vna vt vitiata ſit, & fuerit olim, *Illi drachmis ſunt miſeri.* Drachmis eſſe, venire ſiue operam drachmis locare. Caſsij epiſtola ad Ciceronem. *Nam iam ternis tetradrachmis frumentum apud Caßium eſt.* Deinde eſt.

Is odes dimißis pedibus in cœlum volat.
Eum in odorem cenat Iuppiter cottidie.

Iocum erudite, vt omnia, P. Victorius ornamentum Italiæ & ſæculi ſui explicauit. Macu-

lam tenuem ego tollo, *Eum odorem cenat.* quod verſus poſtulat, & probant Ballionis verba, quæ ſequuntur. *Si numquam is coctum, quidnam cenat Iuppiter?* in quibus ipſis quoque peccatũ eſt a librarijs. Corrige, me iubente; *Si nuſquam is coctum.* Eadem ſcæna editur hodie.

Quanti iſthuc vnum me coquinare perdoces?

at Feſtus legiſſe videtur, *coquitare.* ita enim loquutum Plautum ait Paullus ex illo grammatico. & ad illam formam Bacchidibus eſt, *loquitari.* tamen pendeo animi, & vulgariam ſcripturam non damno: a qua præſertim ἀναλογία faciat. nam vt a ſarcina ſarcinare; ita a coquina coquinare recte deducitur. quo etiã Aulularia vtitur.

Neque ego vmquam niſi hodie ad Bacchas veni in bacchanal coquinatum.

Longe hinc ſequitur.

Hem illic ego habito. intro huc abi, & cenã coque.
Propere. CO. quin is accubitum, & conuiuas cedo?
Corrumpitur iam cena.

Multoties eundem errorem oſtendimus: nullibi verius, vt opinor. nam ſcribſit Plautus, *quin is accubitum? i, conuiuas cedo.* Vt ita vſurparint latini *cedo*, quemadmodum hic hactenus ceperunt; animum inducere non poſſum, vt credam. Certe exempla nulla proferent; at, vt nos correximus, vel ſexcenta promi poſſunt. Curculione. *Auro contra cedo modeſtum amatorem: a me aurum accipe.* Sed idem vitium verſum ſcæna proxima, ni fallor, obſidet.

Ingredere in viam doloſe, & ego hic in inſidijs ero.

nam fecerim, *doloſe. I, ego hic i.*

CAPVT IV.

Te rogo. Volui. Circumtortari. Pſeudolus emendatur ſæpius.

LATEBOR, quod res eſt: admodum quã ſuſpicioſus ſum. rectum hoc fortaſsis alijs omnibus videbitur, ſcæna, *Peiorem ego hominem.*

Metuo autem, ne herus redeat etiam dum a foro.

tamen inclino credere, archetypos Plauti habuiſſe, *etiam domum a foro.* primum numeri pleniores ſunt. tum res hęc geritur prope domum Simonis, & ſi ille domum hoc articulo temporis reuertiſſet, inſidiator Pſeudolus oppreſſus manifeſto eſſet. Verum hoc tamen ſuſpicor tantum; illud vero etiam propemodum confirmo, ſupra ſcæna, *Dulcia atque amara,*

Te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pſeudolo,
Quæro, quoi ter trina, triplicia, tribus modis, tria gaudia,
Artibus tribus ter demeritas dem lætitias.

vitioſe legi. neque tamen neſcio formulam blande adeuntium eſſe, *Te rogo,* cum quid exquiſituri veniunt. Petronius Arbiter. *Te rogo mater, ecquid ſcis vbi ego habitem?* Hac fabula. *Ecquem in angiporto hoc hominem tu nouiſti, te rogo?* Verum hîc profecto locum nõ habet: & quorſum referatur illud quod ſequitur, *Quæro?* plane correctione opus arbitror, & hac potiſsimum. *Te te te tyranne ter ego, qui imperitas Pſeudolo.*

Quia iterarat ter prouocabulum *te*, idcirco Callidorum ter ſe ait quærere: & ludit toto ſermone in ternarijs cumulandis. Eadem ſcæna eſt,

Bene iuuas, ſed quinque iuuentis opus eſt argenti ſ minis.
Mutuis, quas hodie reddam. nam vnam mihi huius debet pater.

Illi vero non vnam ſed viginti commodas minas debebat Callidori pater. & quæ ratio eſt, ſoluturum eum quinque, quia vnam accepturus eſſet? perſpicue hinc eijciendum ſpurium verbum, *vnam:* quod etiam verſus approbat. Scæna, *Quid hoc?*

Occepi denuo, hoc modo nolui. idem amicæ dabam me meæ
Vt me amaret. vbi circumuortor, cado. id fuit nania ludo.

De ſaltatione agere ſeruum paret, quam a ſe inſtauratam ait precibus ſiue flagitatione ſodalium, & vt amicæ ſuæ bellus amaſius videretur. Ea cauſſa non dubium mihi, quin recte corrigam, *hoc modo volui.* Volui, κινεῖσθαι, aptum timulenti ſaltationi verbum. etiam malim, *vbi circumtortor.* nam mire quam huc conueniret. Pomponius. *Vbi inſilui cocleatum equuleum, ibi tolutim tortor.* verum tamen loco non moueo, *Circumvortor.*

Capvt V.

Incus. Varie Plautus correctus hac fabula: etiam, ſi forte, Tacitus.

PERSONARVM collocatio quātas ſæpe tenebras libris bonis inuexerit multi oſtēderūt; in ijs nos etiam, vt cōfidemus, non ſemel. neque mirum in illis ſępe peccatum, quas oppido paucæ membranæ præferūt, & a grammaticis ſuperioris ætatis fere ita vt nunc religioſe retinemus factæ & ordinatæ ſunt. in Ballionis editione iſti magiſtri parum oculati vt videtur fuerunt.

Nam mihi hodie natalis dies eſt. decet eum vos omnes concelebrare.

Pernam, callum, glandium, ſumen facito in aqua iaceant, ſatin?

Magnifice volo enim ſummos viros accipere, vt mihi rem eſſe reantur.

Viderunt alij parum cohærere orationem illo, *ſatin?* & ediderunt, *ſatin audis*. ſi e libris, non culpo: ſed certe diſſentiunt vetuſtiſsimæ editiones, ad quas ego in inopia membranarum confugere ſoleo. eæ ergo cum nihil variēt, adducor vt credā inſerendam huc Pſeudoli perſonam & leuiter interpūctionem mutandam.

Pernam, callum, glandium, ſumen facito in aqua vt iaceant. PS. ſatin'

Magnifice? BA. volo enim.

nam cum faſtidiret commemorandis delicijs ſuis & conuiuij apparatu Ballio, Pſeudolus ad Callidorum conuerſus, *ſatine*, inquit, *magnifice?* atque ita propemodum infra ipſe Callidorus; *Audin furcifer quæ loquitur, ſatin magnificus tibi videtur?* Oratio quidem hac mu-

tatione tamquam ſole illuſtrari videtur. Sed vt aliud ex alio incidit, illud mihi admodum honeſte dictum videtur,

di me ſeruant atque amant.
Nam hic mihi incus eſt, procudam ego hodie hinc multos dolos.

Incudem vt appellet, in quo dolos procudat, tale aliquid in Tacito deprehendiſſe videor, quod proponam ſed timide & verecunde, atque vt eruditorum iudicia electem, non euertam. annali primo. *Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox caſtris præfectus, antiquam duramq. militiam reuocabat, inuictus operis ac laboris, & eo immitior quia tolerauerat.* Mediceus codex, *intus operis.* Cenſebam ego, *incus*: neque indignum Tacito certe, incudem operis & laboris vt nominarit duriſsimum & exercitatiſsimum hominem, qui militarium operum gymnaſium eſſet, vt incus malleorum. Eodem Plauti loco eſt.

Siquidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Iouis,
Tibi libellam argenti numquam credam, dum tu ſtrenuas
P S. Res erit ſoluta.

Quid ſignificet illud, *ſtrenuas*, hominẽ natum arbitror ſcire neminem. Ego inclinabam ſcribere *PS. Dane tu ſtrenuus Res erit.* commode quidem, & ex Plauti ſententia. Anum hoſpitam ſuam ibidem loci graphice depingit ſtratioticus iſte Harpax.

Ego deuortor extra portam huc in tabernã tertiam,

Apud anum illam diobolarem, cludam, craſſam
Chryſidem.

tamen quaſi parum ſit, peruellem illam pollula laude onuſtam amplius. laudat Feſtus in Subuerbuſtum.

Vlceroſam, compeditam, ſubuerbuſtam, ſordidam.

eum verſum quod & generis eiuſdem eſt, & in hanc Chryſidem belliſsime conuenit, aliquando credidi apte illi ſuperiori adhęſiſſe fortean, & excidiſſe librariorum incuria. de quo nihil affirmo, ſed quia non ineleganter id in mentem venit, ſilentio inuoluere nolui.

Caput VI.

Sector, pro inſector. Seres. Ælij Galli. Turma Amazonidum, Muſarum. Pagani. Odorata domus. Propertij multa emendantur, explicantur. emaculatus Martialis.

PSEVDOLO Plauti ſi forte litaui parũ genio tuo, I. Lipſi, ex Propertio arceſſam ſuccidaneas victimas: cuius tu quantus amator ſis, oſtendiſti iamdudum haud leuibus beneficijs. Eius libro II. Elegia XXIV, vt vulgata diſtinctio eſt, omnes legimus.

Vna tamen cauſſa eſt, qua crimina tanta remitto
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitæ fallet me ruga ſeueræ,
Omnes iam norunt quam ſit amare bonum.
Lynceus ipſe meus ſeros inſanit amores.
Solum te noſtros lator adire deos.

Mira res vero, ſi lætetur etiam amicam ſuam tentari, tanquam parum ſit veniam dediſſe. neque mihi hoc quiſquam, Propertiũ id gaudere quod a ſolo Lynceo tentétur amores ſui, non a multis alijs nam profectò amanti cuius vnus riualis eſt millium inſtar, nedum impotentiſsimo amatori Propertio, qui ne Iouem quidem riualem ferre poſsis. Plane de mendô mihi ſuſpicio ſemper fuit, quam auxerunt mébranæ amici mei ampliſsimi viri Io. Poſtelij, in quibus, *lector*. Reſcribſerim,

Solum te noſtros ſector adire deos.

Monuiſti iam hoc olim tu Lipſi, poëtam noſtrum verbis ſimplicibus libenter vti loco cópoſiturum. ita hoc libro dixit, *Non quia peccâris teſtor te.* pro, *deteſtor.* & non ita multo ante húc locum.

Ino etiam prima terras ætate vagata eſt.

pro, *peruagata.* ita hîc interpretor *ſector*, inſector; belliſsima ſententia. Nam veniam illi dat, quod amare incipiat; cum eius rei illecebræ iam ad omnes permanerint: ſolum hoc inſectatur, quod amici delicias potiſsimum inuadat. Libro III. Elegia IV.

Arma deus Cæſar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere claſſe maris.
Magna viri merces, parat vltima terra triumphos;
Tigris & Euphrates ſub tua iura fluent.
Sera ſed Auſonijs veniet prouincia virgis.
Aſſueſcent Latio Partha tropæa Ioui.

Omnino ſuſtinetur ſententiæ curſus verſu quinto, *Sera ſed*; & ego quantum intelligo oc-

cultum hic vulnus, cui vide an recte medear,

Seres & Auſonijs veniet prouincia virgis.

Gentem nominaſſe remotam Orientis argumento eſt, quod ſubijcit de Parthis. at verſus auroram penitiſsimi populi Seres, deq. ijs in eadem re ſæpe poëtæ. Lucanus,

Sub iuga iam Seres, iam barbarus iſſet Araxes.

Eadem elegia ſequitur,

Victor cum victis pariter miſcebitur vmbris
Conſule cum Mario capte Iugurtha ſedes.

Poſthij liber, *pariter miſcebimur vndis*. optime, niſi quod legendum cenſeo *Indis*, non *vndis*. nam de ijs, quod expeditionem adornaret Cęſar, tamquam victis iam & ſuperatis loquitur. De συλλήψει verba multa addere neceſſe non puto: quę etiam Ouidio vſurpata. *Remus cum fratre Quirino Iura dabant.* Elegiam XI. concludit hoc verſu,

Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

Sed mihi non liquet fuiſſe Romæ Propertij ætate Gallos familiares ex gente Lælia; & inclino credere verius ſcribi poſſe, *Aelia Galla.* nam eius gentis id peculiare cognomen, & notiſsimus circa ea tempora Sex. Aelius Gallus, quem Varro audiuit. Ea quæ ſequitur, editur.

Felix agreſtum quondam pacata iuuentus,
Diuitiæ quorum meſsis & arbor erant.

Quid tamen ſit illud, *pacata iuuentus*? certe non eo laudat priſca ſæcula, quod peccata, ſed quod ruri acta ſine opũ cura & ſplẽdore. equidem credo vetuſta ſcribendi ratione fuiſ-

ſe, *pacana*: id valet; *pagana*. Veteres eo ipſo ait felices, quod pagani; ſui temporis homines miſeros, quod nimis vrbani. Elegia ſequente,

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Termodoonteis turba lauatur aquis.

Turbam bellicam vt dixerit Amazonidas Propertius? non credo. Latinius certe, *turma*: quomodo puto reponendum, vel eo maxime quod Amazonides re equeſtri clariſsimę. deinde meminerã eandem mendam in Martiale inoleuiſſe libro VII. Ele. xxj. de Lucani die natali.

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit, Aonidum turba fauete ſacris
Hac meruit cum te terris Lucane dediſſet,
Mixtus Caſtaliæ Batis vt eſſet aquæ.

Membranæ Colonienſes, *Aonidum turma*. rectius. nam alterum illud ſemper de re abiecta & vili. Paucis verſibꝰ interiectis hęrere aliquot viros doctos video in explicatione ſententiæ.

Non Tyriæ veſtes errantia lumina fallunt,
Eſt neque odoratæ cura moleſta domi.

Ego *odoratam domum* interpretor ſuffitiones & odorum incenſiones, quas fieri a meretriculis ſolitas docet noſter Plautus hiſdem Menæchmis.

—— Sternite lectos, incendite odores.
Mundicia illecebra animo eſt amantum.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI POENVLVM
QVÆSTIONES.

I. G. Q. SEPT. FLORENTI CHRIſtiano V. CL. S.

QVOQVO hoc animo accepturus es; ſubiraſcor tibi, Florens Chriſtiane. Sicine tu Lutetia profecturus, verbum mihi abiens nullum? mitto, quod amico more maiorum debebatũr tamen, NVNQVID VELLEM; ne id quidẽ dignum me eſſe exiſtimatum, quem VALERE ac SALVERE optares? hoc præſertim tã peſtilenti tempore, quo nemo tam valide valet, vt non metu ipſo contagij in dies magis magiſq. ſerpentis miſereſcat. Sed ne ego inſignite impudens ſum! qui vltro cum litigio venio ad illum, cuius humaniſsimæ comitati etiam debeo plurimum. Quis enim ego? cui tu, ea eruditione vir, & illis honoribus, vltro te ingereres, & amicitiæ noſtræ pararium nõ exſpectares. Vſum tãtum maiorem deſideraui; & deſideraui cauſſa mea: vt & tu de me tibi potius, quam alijs crederes; & epigrammata mea limæ tuæ acumine polita ſcabriciem horroremq. exuerent. Sed te mihi non voluntas

tua, ſat ſcio, ſed moleſtiſsima negotia tua inuiderunt. & ſpem bonam inieciſſe video, de propinquo reditu tuo. qui ſi non fefellerit, & coniunctionem vitæ, & ſtudiorum commutationes inter nos maiores fore confido. Afferas modo vna, & publico ne diutius prohibeas ad Ariſtophani limatiſsimas lucubrationes tuas, &, quibus cũ antiquitate Græca certas, epigrammata. Mea in te ſtudia ſi parum luxerunt, at animi beniuolentia intimorum tuorum nemini ceſsit. cuius teſtis ſit hic Pœnulus, Romanus dico, non Afer; ne tu Punicam fidem aſperneris: quem aliquot partibus opera mea nitidiorem aut probabis, aut, ſi id non potes, correctione tua adiuuabis.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI POENVLVM
QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Pœnulus aliter Patruus dicta. Pultiphagonides. Abditiuus. Amo te. Scorta diobolaria. Dupondius. Captura. Pœnulo emaculata, explicata multa.

POENVLVS etiam Plauti, vt eiuſdem aliæ pleræque fabulæ, πολυώνυμος fuiſſe videtur. nam hoc prologus ſatis aperte, ni fallor, ſignificat

Carchedonius vocatur hæc comœdia
Latine Plautus Patruus pultiphagonidæ.

ſic ſcribo verſum ſecundum, qui vulgo nulla bona ſententia editur, *Plautus patruus pultiphagonides.* Ridicule Plautus, quod in Italia natus & educatus multa pulte, conſuetudine eius gentis, *pultiphagonides* dicitur: vt *opifex barbarus pultiphagus* Italicus eſt Moſtellaria. Puto ergo hanc fabulam Carchedonion græce, latine promiſcue Pœnulum & Patruum dictam. illud ad exprimendum nomen gręcanicum dramatis; hoc ab euentu, quod Hanno patruus Agoraſtoclem fratris ſui filium inſperato repperit. Eodem prologo hæc ſunt.

Sed illi ſeni qui mortuus eſt filius
Vnicus qui fuerat, olim abductus a patre,
Puer ſeptuennis ſurripitur Carthagine.

ſincera in ſpeciem, & quæ ego attentare nullus auderem, niſi vetuſtiſsimæ editiones ſeorſim irent. In quibus reperio, *Vnicus qui fuerat ab dimitijs patre.* Hinc fecerim, *qui fuerat, abditiuus a patre.* Abditiuus, qui ſeparatus & ſeiunctus eſt, χωριϛθεὶς, aut, vt gloſſæ veteres interpretantur, ἀποσπαϛθεὶς. & amarunt eius lexici concinnatores voces Plautinas ab vſu remotas, &, vt cum Varrone loquar, obliuias in lucem & hominum cognitionem retrahere.

Scæna, *Negotij ſibi.*

Soror, parce amabo. ſat eſt iſthuc alios dicere nobis
Ne noſmet noſtra etiam vitia loquamur.
AN. Quieſco. AD. ergo amo te.

Lepidius legi arbitror, aliter collocatis perſonis. *AN. Quieſco ergo. AD. amo te.* ita ſupra Aſinaria. *Quid tum? LE. auſculta ergo, ſcies.* & venuſta formula reſpondendi, *Amo te*: cum grata & accepta nobis aut facta aut verba aliorũ ſignificamus. Terentij Phormione. *accipe, hem!*

Lectum eſt, conueniet numerus quantum debui.
GE. Amo te, & non neglexiſſe habeo gratiam.

Sequitur non longe hinc,

Seruulorum ſordidulorum ſcorta diobolaria.

Meretriculę diobolares, viliſsimi generis, quęque merebant binos obolos: hoc eſt, dupondium. id enim, vt opinor, declamator apud Senecam innuit VI. Controuerſiarum. *Itane decem iuuenes perierunt propter dupondios tuos?* neque alium, quam nummum dupondium ſignificat Pacuuius.

Non ego ſic fui vt nunc ſunt meretrices diobolæ,

Quæ ſuam nummi cauſſa parui pendunt gratiam. γενικῶς vero, quod huiuſmodi ſcorto ſtupri cauſſa datur *captura* dicitur. docet apud eumdem Senecam Cæſtius Pius. *Pretia ſtupri acceſpiſti, & manus quæ diis datura erat ſacra, capturas tulit.* Cum alias *captura* mendici ſtipem aut mercenarij vilem mercedulam ſignificet. Cõtrouerſiarum V I. *Tibi captura quottidiana non reſpondet.* Eadem hac ſcæna male interpungunt.

Bene promittis multa ex multis, omnia in caſſum cadunt.

rectior diſtinctio ſit, *Bene promittis multa. ex multis omnia in caſſum cadunt.* geminum huic eſt hoc inferius hac eadem fabula. *Multa ſunt mulierum vitia. ſed hoc e multis maxumum eſt.*

CAPVT II.

Viuaria. Pœnulus emendatus, & Quæſtura in Verrem Cicero.

ACCVSANDI caſus pro nominãdi a Plauto ſæpe ponitur, & vix eſt vt aliter vmquã ſcribi debeat. nunc librariorum culpa non raro aliter editur. vt ſcæna, *Quid eſt?*

Si exierit leno, cenſetis hominem interrogem.

Meus ſeruus ſi ad eum venerit,

at veruſti libri, *Meum ſeruum.* Scæna, *Satis ſpectatum eſt.*

Verberatum, vinctum, addictum. qui habet quod det, vt homo eſt,

Omnia genera recipiuntur,

Reſcribo , *qui habet quod det,vtvt homo eſt.* Recipiuntur, inquit, ad nos, vtvt moribus & vita ſint , modo quod dent habeant, omnes. Mendi cauſſam aperriſsimam vides certe, quod librarius ſyllabam vnam iterare neglexerit. Simile peccatum in Cicerone mirum quas turbas dederit , in Verrem Quæſtura: quod nunc tollam , quia commode incidit. *Itaque mihi videor magnam & maxime ægram & prope depoſitam reip. partem ſuſcepiſſe, neque in eo magis mea,quam veſtræ laudi exiſtimationiq.ſeruiſſe. Acceßi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, vituperationemq. tollendam : vt cum hæc res pro voluntate populi Romani eſſet iudicata, aliqua ex parte mea diligentia conſtituta auctoritas iudiciorum videretur. poſtremo vt eſſet hoc iudicatum,vt finis aliquando iudiciariæ controuerſiæ conſtitueretur. &c.* Locus illuſtris eſt, & in quo valde æſtuarunt eruditiſsimi viri Fr. Hotomanus & D. Lambinus, neque hilum profecerunt tamen. At quam facilis correctio ! *poſtremo vtvt eſſet hoc iudicatum.* Vtut, inquit, hæc cauſſa iudicabitur ſiue recte ſeu perperam, eo a me ſuſcepta eſt,vt aliquando de iudicijs controuerſia tollatur. nam ſi recte, tenebit ſenatus iudicia; ſin male, nemo de iiſdem transferendis recuſare audebit. Quæ ipſa hîc Cicero ſtatim ſubiicit,ita clare vt de veritate correctionis huius dubitatio nulla relinquatur. Sed reuertamur ad Plautum, in quo ſequitur paucis poſt verſibus.

Ita vinariorum habemus noſtræ dilectum domi.

Vaſa vinaria hîc ſomniant interpretes, quos non probo. nam verius dici puto, mendoſam vocem eſſe, & reponendum, *viuariorum*. Viuaria eleganter vocat hominum turbam ſeſe ſaginantium malo ſuo, bono lenonis. neque aliter Horatius de captatore illiciente in naſſam ſuam orbos ſenes.

Plures annabunt thunni & viuaria creſcent.

CAPVT III.

Nunquid me morare? Biſulcilingua. Arabus odor. Varie correcta Pœnulus.

VNVM etiam cogam mihi debere hanc ſcænam, ſed e maioribus beneficijs.

MI. Quin hercle collibertus meus faxo eris, ſi di volent.

S. Ita di faxint. nunquid aliud vis memorare Milphio?

Perpetuę diſcedere cupientium formulę ſunt, *Nunquid vis, Nunquid aliud me vis?* notum hoc omnibus, quo facilius in hunc locum irrepere potuit. nam non ita tantum loquuntur latini, ſed præterea: *Nunquid me morare.* cui reſpondet paſsim obuium illud, *Nihil te moror.* Menæchmis.

Nunquid me morare, quin ego liber, vt iuſsiſti, eam?
ME. Optimum atque æquiſsimum orat. Caſina.
Eo nunc iam, niſi quippiam remorare me.

Non igitur dubium mihi, quin reſcribendum ſit voce diſcerpta, & eiecta altera irrepticia.

Ita di faxint. nunquid aliud me morare Milphio? non enim ſolent illi, *Nunquid vis*, verbum adijcere boni auctores. Scæna, *Ain tu*, quod Milphio ait.

MI. At hercle te hominem ſycophantam & ſubdolum,
Qui huc adueniſti nos captatum migdilybs,
Biſulci lingua, quaſi proſerpens beſtia.

diuiſim omnes legunt, *Biſulci lingua:* at Plautus Hannonem Pœnum vt migdilybem, ita etiam biſulci linguam dixit. neque mirabitur virili genere efferri, qui cogitarit, legirupam, lingulacam, ſimilia alia. geminus huic locus eſt Perſa.

—— vt iſthunc di deæq. perdant!
Tanquam proſerpens beſtia eſt bilinguis & ſceleſtus.

Sub finem ſcænæ,

MI. Opinor hercle hodie, quod ego dixi per iocum.

Verſus videtur ſuadere, *Opino.* qua inflexione vſus eſt Bacchidibus auctore Nonio. *Opino eſſe Praneſtinum. ita erat glorioſus.* Scæna proxima.

Arabius murrhinuſq. omnia odor complebat.

Cariſius legit, *Arabus.* quæ antiquior inflectendi ratio. Sic Propertius, *Arabo odore.* Ibidem.

Id ego, niſi quid di aut parentes faciant, quid ſperem haud ſcio.

Reſcribo, *qui ſperem.* Qua ratione, inquit, id ſperare poſſim, neſcio. niſi tamen in dis aut parentibus opis aliquid nobis eſt,

CAPVT IV.

Addictum tenes. Abducere. Hac fabula emaculantur quædam. illuſtratus Terentius.

SCÆNA, *Iam iſthuc*, non recte illa interpunguntur.

> *Quid multa verba faciam? vbi tu laueris.*
> *Ibi vt balneator faciat vnguentariã.*

Reſcribe, *Quid multa verba? faciam, vbi tu laueris.* Faciam, inquit, ita laute & vncte laues, locus vt ipſe vnguentis fluat. Fugit librarios ἀποκοπῇ ſermonis illa, *Quid multa verba?* qua tamen nihil vſitatius. noſter Vidularia. *Quid multa verba? plurimum luctauimus*, Paucis poſt verſibus.

> *LY. Quin ſequere intro. CO. Duc ergo me intro,*
> *addictum tenes.*

Arbitror delendum poſterius, *intro:* vt numeris conſulatur. niſi mauis voce tranſpoſita, *Duc me ergo intro. addictum tenes.* nam ſcæna proxima ijſdem fere verbis erit, *Quin ſequere me ergo. CO. abduc intro. addictum tenes.* Et id verius eſt; quam enim verborum traiectiones nocuerint Plauto, alibi non ſemel planum fecimus. Porro argute alludit ad iudiciorum conſuetudinem, in quibus damnatus, ſi ſoluendo non ſit, addicitur aduerſario, & ab illo domum abducitur. extrema Aſinaria.

> *Male cubandum eſt. iudicatum me vxor abducit*
> *domum.*

Sic ibi legendum: non vt editur, *adducit.*

nam abducendi verbum in ea re proprium. quo alludit Chærea Terentianus, cum in meretriciam ſeruitutem vltro ſe amoris ſui cauſſa conijceret.

Age eamus intro nunc iam: orna me, abduc, duc, quantum poteſt.

quod non animaduerſum hactenus leporem ſuum illi loco inuidit. etiam venales addicuntur primum in emtione, deinde abducuntur. Mercatore. *cui eſt emta? E V. Neſcio. iam addicta atque abducta erat, cum ad portum venio.* Scæna proxima.

Age eamus intro. C O. te ſequor. L Y. age, age ambula:
Ibique reliqua alia fabulabimur.

Quis non videt & numeros & ſententiam cõcinnari meliorem, ſi ſcribſerit me auctore?

Ibi, quæ relliqua alia, fabulabimur.

Capvt V.

Omni arce ſanctior. Noſtri homines. Cicero pro Balbo emaculatus bis, & tribus locis Seneca.

LOcvs Ciceronis eſt pro Cornelio Balbo, his verbis ante paucos annos in omnibus libris cõceptus. *Qui* (de Gaditanis loquitur) *& veterem illam ſpeciem fœderis Marciani omni ſanctiorem Marte duxerunt, & hoc fœdere Catuli ſenatuſq. auctoritate ſe nobiſcum coniunctiſſimos eſſe arbitrati ſunt.*

Vidit loci vitium D. Lambinus, & de ingenio

repoſuit, *omni ſanctiorem ara.* Verũ certior mihi auctor eſt Turingicus liber, qui habet; *omni ſanctiorem arce.* Arces in vrbibus ſanctæ, vt muri: exẽplo ſit vel illa Athenarum ἀκρόπολις. Itaque cum ara coniungit, in Verrem de Supplicijs. *Hic portus, hæc arx, hæc ara eſt ſociorum.* Et ceſſet iam deinceps illa Aldi Manutij excuſatio; Ciceronem in Marciani nomine luſiſſe, vt exaudiretur, nõ vt ſcriberetur. nam & litteræ & ſonus conueniunt in *arce* & *Marciano.* Eadem oratione paullo ſupra hunc locum ſcribitur.

Atqui ceteræ ciuitates non dubitarẽt noſtros omnes recipere in ſuas ciuitates, ſi idem nos iuris haberemus, quod ceteri. ſed nos non poſſumus & huius eſſe ciuitatis, & cuiuſuis præterea.

Et tamen bona verba, M. Tulli! nam quæ tam capax ciuitas, quæ veſtros omnes recipiat? ſed librariorum hoc quoque, vt multa, peccatum. Scribſit Cicero, niſi admodũ fallor animi, *non dubitarent noſtros homines recipere.* Ita loquebãtur cum ciues Romanos ſignificarent. in Verrem Quæſtura. *Homo qui ſemper hoſpitaliſſimus amiciſſimuſq. noſtrorum hominum exiſtimatus eſſet.* De natura Deorum I. *Ad quem tum Epicurij primas ex noſtris hominibus deferebant.* Eadem labes inſedit Senecæ lib. IV. naturalium quæſtionum V. cap. *Non tempero mihi, quominus omnium noſtrorum ineptias proferam.* corrigo, *hominum noſtrorum.* Sed in eodem Seneca ne mihi quidem poſſum temperare, quin alium quoque locum perſanẽ. Controuerſiarũ lib. III. contra. XIII.

Non poteſt vno crimine dementia intelligi. Nemo ſine vitio eſt. in Catone moderatio, in Cicerone conſtantia, in ſumma dementia. ad ſummam, tres fuimus, omnes peccauimus.

quid illud ſit, *in ſumma dementia?* aut dubitari poteſt, recte me conieciſſe? *in Sulla clementia.* non opinor. Ciceroni, ait, conſtantiam defuiſſe; Catoni, moderationem; Sullæ, clemẽtiam. Etiam præfatione Declamationum non recte editur, *Sententias a diſertiſſimis viris factas facile in tanta hominum deſidia pro ſuis dicunt, & ſic acerrimam eloquentiam, quam præſtare non poſſunt, violare non deſinunt.* Repono, *& ſic ſacerrimam eloquentiam.* De eloquentia vt re ſacra loqui docet quod ſequitur, *violare.*

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI PERSAM
QVÆSTIONES.

I. G. GVLIELMO FORNERIO IC. S.

NVMQVAM me puduit confiteri, cui deberem, Gulielme Forneri: quo minus nunc pudet, beneficio me tuo obſtrictum, vltro profiteri. id ſi tu neſcis, nihil mirum eſt; me ſcire & meminiſſe oportet, qui vtor benignitate tua: & ſimul agnoſcis, quam vere hoc noſter Plautus,

Bonis quod bene fit, gratia ea grauida eſt bonis.

Verumtamen rem vide. meminiſtin' ante hos annos ſexdecim membranas te M. Tullij comparare, & ablecta ex ijs tua cum H. Blotio communicare, quæ ad Suffridum Petrum in Grudios ille tranſmitteret? Ea nuper a Suffrido noſtro ad me defluxerunt, & non ſine fructu aliquo, quantum ſentio, a me illis irrigata locorum Ciceronis logicorum topiaria. Gratiam non illis tantum, ſed tibi etiam, Forneri, libenter debeo; a quo fonte iſti ad me riuuli in Saxoniam vſque

manauerunt. Itaque numerabis deinceps in ære tuo, indicio ſuo, Gulielmium. quod non vt diſſoluerem, ſed vt me bonum nomen a principio ſtatim oſtenderem, vna miſi hæc paucula e Plauti Perſa: de quibus diſpicies, cum a iure ciuili & illis ſeuerioribus tuis ſtudijs voles deſpicere.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI PERSAM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Præfulcire. Album rete. Probe eſſe. Strigilis & ampulla. Perſa ſæpe explicatur, corrigitur ſemel. item Nonius.

ILLVD vero pellepidum dicendi genus eſt initio Perſæ.

Quin mi imperet, quin me ſuis negotijs præfulciat.

& hinc ſeruus fidelis & bonus *columen familiæ* dicitur Phormione, quod ſcilicet rebus heri ſui fulcri & columinis vicem ſit: & ſcitum eſt illud Lucillij epitaphium carmen.

Seruos neque infidus domino, neque inutilis quoiquam,
Lucilli columella hic ſitus Metrophanes.

Scæna, *Veterem atque antiquom.*

Si id fiat, ne iſti nuſquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

Album magiſtratuum accipio, apud quos edebant actionem litigatores. quod mimice tamquam plagá eſſe ait, qua capiantur bona aliena. neque placet mihi prior coniectura mea. Scæna proxima.

Iam pol ille hic aderit credo congerro meus.

Qui in Aſinariæ fragmẽtis hũc verſum recenſuerunt, ij Nonium Marcellum oſcitanter legerunt: quem corrigo in Gerræ leuiter con-

taminatum. *Plautus Aſinaria. Gerræ qui ſeſe parere apparent huius legibus profecto. Idem. Hic aderit credo congerro meus. id eſt, colluſor meus, qui eaſdem excercet nugas.* Non enim illa Plauti verba ſunt, vt putarunt viri docti; ſed Nonij Plautum interpretantis. Eadem ſcæna.

Cynicum eſſe egentem oportet paraſitum probe
Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat.

Magis placent libri a Camerario editi, in quibus.

Cynicam eſſe gentem oportet paraſitûm probe.

Gignendi caſu multitudinis numero accipio, *paraſitûm.* & ex ambiguo non inſulſus iocus a Saturione captatus eſt. cum enim hoc dicere videatur, gentem paraſitorum cynicæ ſectæ æmulam & imitatricem eſſe debere: tamen innuit caninum in morem eos oportere *eſſe probe*; hoc eſt, bene admordere & tuburcinari quicquid intra dentes venerit. Hoc igitur riſus cauſſà ſignificat, in eo tamen quod cœperat de cynicis, perſeuerat, & recenſet communia vtrique ſectæ ornamenta: in illis, ſtrigilem & ampullam, quæ balnei ſunt, quo ante concenationes paraſiti defricantur, & aſudaſcũt. Appuleius Floridis. *Ampullam & ſtrigilem ceteraq. balnei vtenſilia nundinis mercari.*

CAPVT II.

Lubens merito. Quid faciet mihi? Intus egredi. Perſa pluries emendatur, illuſtratur.

SAGARI-

SAGARISTIO argento accepto ſane magnifice iubilat, & de occaſione maleficij nequitiæ ſuæ gratulatur,

Ioui opulento, incluto, Ope gnato, ſupremo, valido, viripotenti,
Opes, ſpes, bonas copias commodanti lubens vitulorque merito.

Sed leuiter iuuandum cenſeo verſum ſecundum voce traiecta, *lubens meritoq. vitulor*. LVBENS MERITO, ſollēnis formula in precibus, gratiarum actionibus, ſupplicijs deorum. ea exſtat in multis inſcriptionibus: cuiuſmodi vna Formijs eſſe dicitur, non hanc tantum ob rem memorabilis:

DIANAE
LVCINAE
INVICTAE
CN. POMPEIVS
CN. LIB. BARB
VS. PROCVRAT
TVBICIN. ROM
VOTO. SVSCEPTO
L. M.

Iam *vitulari* quam hic apte ponatur, ex ijs intelligetur, quæ ad Amphitruonem ſcribſimus. Sub finem ſcænæ.

Virtus eſt, vt occaſio admonet, diſpicere. quid faciet mihi?

Et hoc ijs vſitatum loquendi genus, qui periculū aut minas alterius cōtemnant. Eunucho.

Sed eſtne hæc Thais, quam video? ipſa eſt, hæreo.

Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
Scæna, *Penſum meum*, poſtremus verſus eſt.

Quem conuenire maxime cupiebam egreditur foras. Mss. vt admonent viri docti, *egreditur intus.* neque quicquam verius, vt vel verſus indicat. intus egredi, eſt e domo exire. nam etiam motum de loco id aduerbium habet. Caſina. *eccum exit foras Chalinus intus cum ſitella & ſortibus.* Bacchidibus. *Ego tibi argentum iam iubebo intus efferri foras.* Scæna. *Cui homini dij.*

——nam eſt res quædam, quam occultabam
Tibi dicere, nunc eam narrabo, vnde prægrande lucrum facias.

Nonius notat e libris ſuis, *vnde prægrandem lucrum facias:* & virile genus pro neutro poſitum ait. de quo cogito.

CAPVT III.

Cadere. Tedigniloquides. Nugidololoquides. Bonam vitam facere. Hæc fabula explicata, emaculata.

Ea quæ hanc ſequitur leno virgini quæ ſe afflictabat, quod in lenoniam familiã venũ iret, illudit ioco plane lenonio.

Ne ſis plora. libera eris actutum,
ſi crebro cades.
Vin mea eſſe?

neque hîc quidquam mutandum, vt ſuſpicantur doctiſsimi viri. Nam *cadendi* verbum in re amorum obſcenum, & in iocis vulgi. Otho Iunius apud Senecam declamator, de Veſtali

inceſti damnata, & de ſaxo deiecta, quæ recreata ad pœnam repetebatur. *Fortaſſe pœna ſe præparauit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit,* quem colorem irridet Seneca, vt vulgarium & in re graui leuem; non, vt parum latinum. Scæna, *Probati hic argenti.*

Tedigniloquides, nummorum expalponides.

Acerba ironia in lenonem expreſſa ridiculo nomine, *Tedigniloquides:* quaſi loquatur, quæ lenone digna ſunt captioſa & ſceleſta omnia. ita idem Sagariſtio paullo ſuperius de Toxilo, *quod te dignum eſt, me dignum eſſe vis.* Sed pręcedit hunc alter verſus æque lepide ludens,

Nugipolyloquides, argentiexterebronides.

in vetuſte editis eſt magno conſenſu, *Nugipololoquides* Correxerim, *Nugidololoquides;* vt aiat doloſas & fraudulentas nugas ſe loqui. & ſane cetera pura puta latina ſunt omnia, vnde ſibi ridicule nomina concinnat; vt veri vix ſimile ſit, in hoc ſolo græciſſare poëtá voluiſſe. Scæna, *Tranſcidi loris.*

ne ego hodie tibi

Bonam vitam feci. D. fateor, habeoq; gratiam.

Lambinus ex veſtigijs obſcuris librorum corrigit, *Bona multa feci.* ſed nihil neceſſe eſt hinc eijcere propriam & elegantem formulam, *bonam vitam facere,* cum ſignificare vellent in voluptatem & gaudium ſe opera alterius coniectos. Caſina. *Venus multipotens bonam vitam mihi dediſti.*

CAPVT IV.

Verſari, in piſcibus, in dolis, in æſtu animi. Emungere. Locus Ciceronis Lælio nunc primum declaratus. alter eiuſdem in Verrem correctus.

AIt leno Dordalus Toxilo extrema ſcæna,

Quid ais crux, ſtimulorum tritor?
quomodo me hodie verſauiſti?

Elegans verbum, *verſare*; ne obſcurum quidem. proprie in piſcibus habitat, qui verſantur, cum coquuntur. ſupra Aſinaria.

Quaſi piſcis itidem eſt amator lenæ, nequam eſt niſi recens.
Is habet ſuccum, is ſuauitatem, eum quouis pacto condias,
Vel patinarium vel aſſum vorſes quo pacto lubet.

hinc tralatione in technas & fallacias deducitur. Virgilius, *Vel verſare dolos, vel certæ occumbere morti.* Huius tam minutæ rei ignoratio tot viris eruditiſsimis, quot in M.Tullio iá aliquot ætatibus laborarunt inuidit ſententiam venuſti loci Lælio, ſiue de Amicitia. edunt enim.

Quid autem turpius, quam illudi? Quot vt ne accidat, magis cauendum eſt, vt in Epiclero. Hodie me ante omnes comicos ſtultos ſenes Verſaris, atque illuſeris lautiſsime. *Hæc enim etiam in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improuidorum & credulorum ſenum*

neque tamē diſsimulāt ijdē, omnes membra-

nas aliter ſcribere verſum veteris poëtæ, quæ vno conſenſu habent, ita vt & meæ quinque perantiquæ,

Verſaris, atque vt iuſſeris lautiſsime.

& quidem in V. Cl. Io. Metelli adiectum erat, *Seruus reſpondet*, ad illa verba, *atque vt iuſſeris lautiſsime.* quod veriſsimum arbitror. Eſt enim ex ambiguo iocus a comico peruenuſte captatus. Nam cum ſe ſenex a ſeruo, ludificatum & delectatum dolis intelligens, verſatum diceret; ille occaſionem ioci arripiens, ilicet, inquit, ſi coqui vis, lautiſsime vorſabo. Non diſsimiles ludos Plautus facit Moſtellaria. cum enim ſenex ridicule illuſus diceret ſeruo, *probe me emunxti:* reſpondet ille, *videſis ſatine recte? num mucci fluunt?* a fallacijs ad nares, in quibus proprie dicitur, verbum transferens. Sed *verſari* etiam alio transfertur, ad illos videlicet qui pudore, aut animi ſiue dubitatione ſiue dolore quopiam, huc illuc ſe conuertunt, neque vbi conſiſtant tranquille inueniunt. in Verrem, Prætura Vrbana. *Verſat ſe, quærit quid agat.* in eumdem, iuriſdictione Siciliensi, in Sopatri iudicio. *Itaque æſtuabat dubitatione: verſabat ſe in vtramque partem, nec ſolum animo ſed etiam corpore.* Sed eodem hoc extremo libro in mendo latet id verbum, quod nunc protraham. Vulgo legitur.

Cum manifeſta res flagitioſa litura tabularum atque inſignis turpitudo teneretur, quærere in-

cæpimus de Carpinatio, quis is eſſet Verrutius, qui cum tantæ pecuniæ rationem haberet. Hærere homo, auerſari, rubere.

at eiuſdem amici noſtri Io. Metelli optimæ & vetuſtiſsimæ membranæ, *Hærere homo, verſari, rubere.* probiſsime, vt in huius libri infinitis alijs locis, de quibus alias. Sic & Plautus Caſina,

Cum tu quaſi mus in medio parietis verſabere.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI RVDENTEM QVÆSTIONES.

I. G. IACOBO CORTINIO Ciſſæo. V. N. S.

TE VERO niſi amem tantum, quantum certe amo, quis me amet, I. Ciſſæ? aut quis dignum amore hominum venuſtiorum, hoc eſt, tui ſimilium arbitretur? in quo tot cauſſæ conſpirant, quarum vnaquæque amorem omnium mereatur; Muſarum ſecundiſsimus fauor, ſumma Scaligeri coniunctio, &,quod caput eſt, vnica amabilitas tua. accedit his, quod mihi ad te complectendum ſecundum illa protelum vel maximum fuit, erga me propenſa & perſpecta nuper voluntas tua. Itaque perſeueremus hoc certamen, & inter nos contendamus, vter pluribus & clarioribus indicijs ſuum erga alterum ſtudium patefaciat. Mihi crede, Ciſſæ, digna nobis, digna ſtudijs, quæ colimus, res eſt. & tu poëta es in primis Galliæ veſtræ, & ego ab hac laude etſi abſum longiuſcule facultate,tamen

non abhorreo voluntate: ſed vtriuſque noſtrûm animis conciliandis ſat eſt, vel aſpiraſſe ad eandem palmam, & quamuis diſpari celeritate in eodem tamen curriculo ad eandem metam anhelare. Et quo tenuior in pangendis verſibus opera mea, eo diligentior induſtria in politiſsimis veterum poëmatis corruptela prohibendis. cuius rei ſpecimen hoc ex Plauti Rudente nunc mitto, vel ob hoc vt tua limatiora eliciam.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI RVDENTEM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Quane? Cuia. Rudens correcta. fragmentum in ipſa fabula oſtenſum, & in Nonio emendatum. explicatus Mercatore locus.

QVOD ſcribitur ſcæna, *Qui ſunt.*

Quæ nunc eiecta e mari ſumus ambæ obſecro

Vnde nos hoſtias agere voluiſti huc?

Multo malim, *Quane eiecta e mari ſumus ambæ?* quæ ſolens Plauto formula eſt. ſic emendauimus infra. *Quine arrabonem a me accepiſti, ob mulierem?* & eadem hac fabula poſterius etiam nunc legitur. *Æquum videtur tibi, vt ego alienum quod eſt, Meum eſſe dicam? GR. quod ne ego inueni in mari?* Ille verſus, eodem loco qui eſt.

Quæ in locis neſcijs, neſcia ſpe ſumus.

a Nonio laudatur ex hac fabula in Neſcius, *Quo in loco ſis neſcius, neſcias peſſumus.* quod plane hoc ipſiſsimum eſt; at quibus mēdorum monſtris obuolutum! plane locum eundem eſſe neſcias. itaque decepti viri docti fruſtum comœdiæ putarunt, & in fragmēta coniecerunt. quod non debuit. Scæna, *Intelligo hanc.*

Pulſare iuſsiſti atque aquã rogare. TR. cui ad auris

Vox mi aduolauit:

ita editiones, quas vidi: *cui ad auris Vox mi aduolauit*. vt plane exiſtimē ita in mss. fuiſſe, tametſi vetuſtiores editi, *quoius*. lego, *cuia ad aures*. Cuia vox, nihil aliud quam, *cuius*. vt apud Virgilium, *cuium pecus:* in quo temere rex ille poëtarum a tenebrione neſcio quo reprehenſus eſt. Infra hac fabula. *Argentum pro iſtis ambabus cuia erant domino dedi*. neque video quare veterum editionem ſcriptura mutetur Bacchidibus. *Is Helenam abduxit, cuia cauſſa nunc facio obſidium Ilio*. Mercatore antiqua ratione ſcribendi adhuc exſtat, ideo multos præterlabitur ſcæna, *Miſerior mulier.*

Quia illa mulier intus eſt. LY. vidiſtine eam?
DO. Vidi. LY. cuia ea ſit rogitas?

nam *Quia* eſt *cuia* ea conſuetudine, qua *C* & *Q* promiſcue vſurpabant. & ita eſſe, neque rationem his verbis reddi, ſed interrogari, probant Lyſimachi illa verba, *cuia ea ſit rogitas?*

CAPVT II.

Aluum prodi ſperauit. Compotire. Hac fabula multa emaculata. item Appuleius de Deo Socratis.

SVBOBSCVRVM mihi videtur illud ſcæna, *Quid iſthuc.*

Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare,
Itaque aluum prodiſperauit nobis falſis poculis.

nam quod interpres legit & explicat, *prodiſparauit*, nihilo minus obſcurum eſt. & quod illud monſtrum verbi eſt, *prodiſparare?* mihi omnia tentanti tandem viſum diſpeſcere voces male coalitas; neque eius facti, ſi ſapio, pœnitere me debet. *Itaque aluum prodi ſperauit nobis ſalſis poculis.* Neptunus, ait, large ſane & prolixe nos accepit in mari, & ſperauit verba nobis dari poſſe, & aluum prodi ſalſis poculis: hoc eſt, futurum vt potaremus largius, quam aluo vitæq. adeo noſtræ conduceret. nam conuiuæ cum dulcedine apparatus inducti pluſcule aut comedunt aut bibunt, quam ſatis eſt, *prodi* dicuntur. Terentius Eunucho.

> *Atat data hercle verba mihi ſunt. vicit vinum*
> *quod bibi.*

& hinc illa nota, *vino deponere, ineſcare.* Cicero libro VII. epiſtola Galli. *Lex ſumtuaria quæ videtur* λιτότητα *attuliſſe, ea mihi fraudi fuit. nam dum volunt iſti lauti terra nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, vt nihil poßit eſſe ſuauius. in eas cum incidiſſem in cena augurali apud Lentulum, tanta me* διάῤῥοια *arripuit, vt hodie primum videar cepiſſe conſiſtere.* Vnicus is locus huic explicando. Nam vt Ciceroni aluus prodita dulcedine eſcarum, ita his pæniſsime multitudine poculorum; quæ ſi paullulum continuaſſet, διάῤῥοια maior aliquanto, quam Ciceronis illa fuit, conſequuta eſſet. Sperauit prodi, helleniſmus eſt Plauto, Cice-

roni, alijs vſitatiſsimus. Aſinaria.

Vehes pol hodie me ſiquidem hoc argentum ferre ſperes,

Metellus Celer, epiſtola ad Ciceronem. *Te tam mobili in me meoſq. animo eſſe non ſperabam.* Scæna, *Exi e fano.*

Quod ego in ſomniis ſomniaui.

Correxerim, *in ſomnis ſomniaui.* ſupra. *Miris modis di ludos faciunt hominibus Miriſq. exemplis omnia in ſomnis danunt.* Honeſte hoc admodum dictum ſcæna, *Neptuno has.*

Salute horiæ, quæ in mari fluctuoſo
Piſcatu nouo me uberi compotiuit.

Compotire, compotem facere eſt. ſic ſupra hac comœdia. *Ita hic ſolis locis compotita ſum.* Idem verbum Appuleius vſurpauerat de Deo Socratis. *Coruus vt ſe vocalem præbêret, quod ſolum deeſſe tanta eius formæ uulpes ſimulauerat, crocitare adortus, prædam quam ore geſtabat in ſeductricem competiuit.* Repono, *in ſeductricem compotiuit.* Scæna, *Pro di inmortales.*

Ego eum adeo accerſi huc ad me quamprimum volo.

Haud dubio corrigēdum, *Ergo eum adeo*, neque quiſquam diſſentiet, qui priora & poſteriora attentius conſiderârit. Scæna,

Aliquando oſculando melius eſt uxor pauſam fieri.

Scribo *oſculandi.* quod tamen quiuis opinor per ſe viderit, rectius eſſe.

CAPVT III.

Hecatombæ hoſtiæ. Ex mea ſententia. Igitur demum. Pro oratione. Rudens pluries corrigitur.

MVLTA bene monita tamen neſcio quomodo male negligimus. vel illud docte & prudenter Camerarius e veſtigijs librorũ ſuorum reponendum cenſuit.

Atque hoc ſceleſti illi in animum inducunt ſuum.
Iouem ſe placare poſſe hecatombis hoſtijs.

quis tamen poſteriorum interpretum aut ſequutus eſt, aut verbo dignatus? Scire poſsis nõ intellexiſſe ſermonis huiuſmodi leporem. atqui eodem hoc dramate dixit, *pondo vnciam*; Pſeudolo, *libram pondo*: & ad eandem formam ſunt illa ab alijs obſeruata, *rete iaculum, lectus locus, commeatus cibus, mulier Gallia*, ſexcenta talia. Venuſtiſsime ergo hecatombæ hoſtiæ dictæ, maximæ & ſumtuoſiſsimæ. Sequitur.

Et operam & ſumtum perdunt. ideo fit quia
Nihil ei acceptum eſt a periuris ſupplicI.

Diuidẽda vox eſt, *id eo fit*. Cicero pro P. Quinctio. *Hoc eo per te agebatur, quod non ſatis erat &c.* nihil enim neceſſe eſt cetera adſcribere. Perquam tenue hoc fuiſſe ſentio: adiungam etiam tenuius. Scæna, *Qui ſunt.*

AM. Veneris phanum obſecro hoc eſt? SA. fateor ego.
Huius phani ſacerdos clueo. verum quicquid eſt
Comiter fiet a me, quo non copia
Valebit.

Primum interpungo, *fateor. ego huius.* deinde non probant mihi eruditi viri interpretationẽ ſuam in ſequentibus. malo exiſtimare compẽdio ſcripturę locum corruptum, & verum eſſe, *quo noſtra copia.* Et non diſplicet illud quoque doctiſsimi Camerarij ſcæna *Neptuno has ago.*

Paupertatem heri qui & meam ſeruientiam
Tolerarem

Sed tamen quod omnes libri habent, *ſententiam*, & mihi frequentius eo errore librariorũ quo EX in ET peruerterunt, vide ſi verius ſit a Plauto ſcriptum eſſe, *Paupertatem qui heri ex mea ſententia T.* Purum putum Plauti eſt, *ex mea ſententia*, vt volui & optaui. Truculenti exodio.

Lepide ecaſtor aucupaui, atque ex mea ſententia.

Ille quoque eadẽ ſcæna verſus vitij ſuſpectus eſt.

Iam vbi liber ero igitur, domum inſtruam agrum, ædes, mancipia.
Nauibus magnis mercaturam faciam.

Certe putida ταυτολογία & minime digna hoc noſtro eſt, *domum* cum dixiſſet, tamquam ſui oblitum ſubiungere, *ædis.* Verum hæc etiam a mala manu corruptorũ ſunt. profecto enim verè conieci, *Iam vbi liber ero, igitur demum inſtruam agrum. Igitur demum,* antique eſt, *tũ demũ.* Moſtellaria, *miſerum eſt opus, Igitur demum fodere puteum vbi ſitis fauces tenet.* Et res ita eſt. multa in hoc & aliis optimæ notæ ſcriptoribus perperam inmutantur cottidie ignoratione priſci ſermonis. eiuſmodi eſt ſcæna quę hãc ſequitur erratum.

Hunc homo feret a me nemo, ne tu te ſperes potius.

Corrigo, *Hunc homo feret a me nemo, ne tu te ſperes, ocyus.* nam illud aduerbium abundat in ſermone aut potius ornamenti & vehementiæ cauſſa adijcitur, quæ ſentiri quam explicari facilius poſsit. Aſinaria.

Mea quidem hercle opera liber numquam fies ocyus.

Eius generis vnum etiam nunc dicam ex ſcęna huic proxima.

Quid iſtæ mutæ ſunt, quæ pro ſe fabulari non queant?
TR. Eo tacent, quia tacita bonaſt mulier ſemper quam loquens.
Tum pol tu pro portione nec vir nec mulier mihi eſt.

Quid enim ſibi velit, *pro portione*, fateor me nõ videre; & opinor, ne alios quidem. Ceterum ſuſpicor rectius ſcribi, *pro oratione.* id valet, quantum ex oratione tua colligo, vt verba facis. Amphitruone. *Meus pater nunc pro huius verbis recte & ſapienter facit.*

CAPVT IV.

Semel bibo. Git. Hæc fabula ſæpius emendatur, illuſtratur.

PLEVSIDIPPVS lenonẽ obtorto collo ad prętorẽ dũ rapit, ſceleſtus ille in miſeria ſua ſupplex, auxilium ſibi vt ferant orat Ampeliſcam & Charmidem hoſpitem

ſuum, qui in re præſenti erant.

LA. Oro, obſecro Palæſtra. PL. ſequere carnufex.
LA. Hoſpes. CH. non ſum hoſpes, repudio hoſpitium tuum.
LA. Sicine me ſpernis? CH. ſic ago. ſemel bibo.

Verum inibi melius fortaſſe legatur. *Ora, obſecro Palæſtra.* Hoc quidem vult, Palæſtra vt exoret Pleuſidippũ, ne rapiatur ad prætorem. Vltima verba, *ſemel bibo,* ſubobſcura viſa eruditis hominibus multis, & mendoſa. itaque, vt ſolet, ad ſuſpiciones & mutationes ſcripturæ cõfugiunt: quod aliter fieri debuit. De malo & infortunio vt de potione aliqua ſępe loquitur Plautus. Aulularia.

Nam ecaſtor malum mærorem metuo ne miſtum bibam.

Caſina extrema.

Inde foras tacitus præfiſcini exeo hoc ornatu quo vides,
Vt ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi biberet.

Non lubet ergo Charmidi iterum cum lenone bibere, neque ad eum deuorti in hoſpitium: qui tam acidis poculis nuper in naui acceptus eſſet. ea cauſſa hoſpitij ius ei renunciat; ne ea malæ rei potio iterum ſibi bibenda ſit. Pluria ad eum modum corrumpimus, quia capimus parum. cuius rei inſigne exemplum eodẽ hoc libro dabo ſcæna *Numquam ædepol.*

LA. Dabo ſeptingentos. GR. os calet tibi, nunc id frigide factas.

Sic Camerarius edidit; Lãbinus e mss. ſuis, vt ait, *os calet tibi, linguam frigide factas.* at vetere

omnium

omnium vulgatorum codicum ſcriptura nihil erat ſincerius, *num git frigidefactas?* Git, μελάνθιον eſt: vt auctores ſunt Cariſius & Gloſſographi veteres. ex eo pulmentum calidum cōficiebant, quod in ore frigefacere Labracem Gripus ait, ne amburat gutturem. & ſimillimus huic locus eſt ille Pœnulo.

Mitte ad me ſodes hodie Adelphaſium tuam,
Die feſto, celebri, nobiliq. Aphrodiſiis.
L A. Calidum prandiſti prandiū hodie. dic mihi?
A G. Quid iam? L A. quia hoc nunc frigefactas
cum rogas;

Grauis illa & e media philoſophia eſt ſententia Dæmoni ſenis,

Semper cauere hoc ſapientes æquiſsimum eſt,
Ne conſcij ſint ipſi maleficiis ſuis.

Sed, quod mireris, hactenus non perpurgata. certe enim ſcribendum, *maleficij ſuis*. nam ſapientes cēſet eſſe debere nullius maleficij cōſcios non ſibi ſolis (nam hoc quidem in controuerſiam numquam venit) verum etiam ijs, quos coërcere iure aut imperio poſsint. ij enim ſi quid peccant, culpa etiam in illos redundat in quorum poteſtate ſunt. Quod ſubijcit herili chriæ cupidus & auarus ſeruulus,

Cum illos ſapientis mores monſtrabant poplo,

accipiunt omnes quantum video caſu accuſandi *ſapientis mores*, τὰ ἤθη σοφὰ καὶ καλοκάγαθα: ego tamen gignendi accipienda arbitror τὰ τοῦ σοφοῦ ἤθη. nam ideam & naturam viri ſapientis, vt reuera eſt, ſignificat.

S

CAPVT V.

Seueri. Nimium nimiumque. Dolore cauere. Aqua pulla. Tibullus emendatus, explicatus.

TIBVLLI lectione valde delector, opinor & tu, I. Ciſſæ, qui eius poëtæ veneres & lepores omnes feliciſsime expreſsiſti. Itaque conſidera ſodes hunc locum libri III. elegia VI.

——— poſcite Bacchi.
Munera. quem veſtrûm pocula ſicca iuuant?
Conuenit ex æquo. nec toruus Liber in illos,
Qui ſe, quiq. vna vina iocoſa colunt.
Iam venit iratus nimium, nimiumq. ſeuerus.
Qui timet irati numina magna bibat.

Penultimus horum verſuum integer omnibus videtur, & eſt fortaſſe: tamen vehementer imbibi Tibullum reliquiſſe potius,

Iam venit iratus nimium nimiumq. ſeueris.

Vt hoc dicat, Bacchum venire iratum illis, & quidem impenſe iratum, qui vini certamẽ recuſent, & inter pocula ſobrietati ſtudeant. nam *ſeueri* latine ſobrij, & ab hilaritate lubentiaq. conuiuiorum abhorrentes. Catullus.

At vos quo lubet hinc abite lymphæ
Vini pernicies, & ad ſeueros
Migrate, hic merus eſt Thyonianus.

& apertius Horatius epiſtolarum I. XIX.

Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma.
Proſiluit dicenda. forum putealq. Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeueris.

Hoc ſimul edixit, non ceſſauere poëtæ
Nocturno certare mero, putere diurno.

Ideo poëtas ait in vino volutari, ne ſeueri audirent. ita hic Bacchus iratus ſeueris dicitur, id eſt, ſiccis & ebrietatem aſtuta fraude inter compotationes aliorum vitantibus. Iam iteratio illa, *nimium nimiumq.* valde latina & propria eſt: & valet, vehementer. Ouidius Heroidibus.

Auſus es, ô nimium nimiumq. oblite tuorum,
Threcia nocturno tangere caſtra dolo.

Etiam ſequente elegia eiuſdem libri ſuſpectã habeo illam ſententiam.

——— *Felix quicumque dolore*
Alterius diſces poſſe carere tuo.

Quomodo enim hoc diſci poſt, vt careamus dolore? quod non in noſtra manu, ſed in fortunę poteſtate eſt. Libéter igitur emẽdauerim,

Alterius diſces poſſe cauere tuo.

Vt illi neſcio cuius poëtæ dicto hoc noſtri Tibulli reſpondeat,

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Et elegãter dixerit, *cauere dolore:* vt, *Cauere malo.* Bacchidibus. *Omitte Lyde, ac caue malo.* Sed eiuſdem poëtæ libro. I. elegia V. eſt.

At qua velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulla per vada linter aqua.

Quod maluerunt viri docti, *Exiguus pulſa,* & ita ediderunt, non inſector: ſuis illi rationibus fortaſſe nituntur. & quantum video, fauet illis non mediocriter hic verſus libri IV.

Remorum auditos per vada pulſa ſonos.

ſed profecto Tibullus ſcribſit *aqua pulla*, ſiue quod littera vna diuerſum, re quidem ipſa idem eſt, *polla*, ἀντὶ μικροῦ τε καὶ ὀλίγου ὕδατος. ideo addit, *linter exiguus*: vt aquæ paucitati apposite conueniret ſcaphæ exilitas. Promiſcue autem in re eadem vſitari *paullus pollus*, *pullus*, notum eſt, nec multa verba deſiderat.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI STICHVM QVÆSTIONES.

I. G. PETRO COLVIO SVO. S.

QVID enim? non ſic oportet? equidem cenſeo addendum etiam, FRATRI. ſed flagitioſorum hominum ſcelera vides quam etiam ſanctiſsima nomina neceſsitudinum vulgo contaminent. Illud ergo teneamus, & fraternum amorem re & factis, non verbis & nomine perſeueremus; quem in me tuum, mi Colui, ita vidi ac ſenſi ſæpiſsime, vt ea, quæ oculis cernimus, ac manu tenemus: opinor, etiam tu meum, tametſi magis claruerunt officia tua, hoc nupero in Galliam aduentu meo. Verum profecto nec amando nec promerendo bene abs te vincar, & reponam

ἀυτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον, αἴ κε δύνωμαι.

Neque vt aliter faciam aut natura mea patietur, aut ſtudia, quæ in naturam fere vertunt. Meo enim animo humanitas non eruditione nos ſolum augere debet, ſed etiam humaniores, modeſtiores, meliores efficere. Quod qui facere negligunt, & in maxima malitia maximam ſapientiam collocant, quam in fraudem

ſe ipſos induant, & quantam in infamiam litteras deducant, vtinam ne vulgo etiam & indoctæ plebi in ore & ſermonibus eſſet: minore in calumnia imperitorum ingenuæ artes & honeſtiſsima ſtudia verſarentur. Sed iſtas hominum peſtes moribus & dis ſuis iratis vlciſcendas relinquamus: nos, vt occœpimus, cum antiqua doctrina probitatem & virtutes grauiſsimorum veterum combibamus: ſine quibus omnes litteræ non minus & periculoſæ & ſæpe exitioſæ, quam in manu furioſi acutus & nudatus enſis. Quod tu quantopere probes, oſtendit ſtudium tuum in ſanctiſsimo & doctiſsimo Eccleſiæ doctore potiſsimum collocatum; non tam vt te multijugi ſcientia repleres, quam vt exemplo ad honeſtatem vitæ incitares. quam operam præclare inchoatam cum bonis auibus perfice. nunc hæc ad Stichum conſidera.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI STICHVM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Facil. Nunc places. non places. fami. publicitus. Stichus correcta. indicata in ipſa fabula e Cariſio fragmenta, quæ putantur.

MENDOSE hæc primore Sticho leguntur,

Credo ego miſeram fuiſſe Penelopam, ſoror,
Suo ex animo, quæ tamdiu viro ſuo
Caruit. nam nos eius animum de noſtris factis
Noſcimus.

non .n. ita latine ſolet: potius, animum alterius noſcere de ſuo. Vidit hoc, qua elegantia iudicij eſt, Muretus, & deleuit illud, *factis*. Ego magis inclino, vt corrigi leuiter debeat, *nam nos eius animum de noſtris facil. Noſcimus.* Facil ἀρχαίως facile; vt capital, capitale. hoc verum arbitror. ſed diſsimulare nolo etiam illud *factis* recte defendi poſſe; & id ita propemodum poſitum Moſtellaria. *Poſtremo ſi dictis nequis perduci, vt vera hæc credas, Mea dicta ex factis noſce.* verum præter ſententiæ venuſtatem etiam verſuum ratio noſtrum hoc magis requirit. Ne illud quidem ſatis probum mihi videtur ſcæna proxima.

AN. Curate igitur familiarem rem vt poteſtis optime.

PA. Nunc placet. cum recte monſtras. nunc tibi auſcultabimus.

nam conſueuit alias Plautus, *nunc places.* & neſcio an vmquam aliter. Rudente. *Fiat iſthuc potius, quam nunc pugnem tecum. TR. nunc places.* Illi reſpondet & tamquam aduerſatur, *non places.* Truculento. *Non places. in mutum confers culpam, quod nequit loqui,* Illud ſequentis ſcænæ initio.

——quam ego refero meæ matri fami.

in mente Cariſio fuit, cum Sticho Plautina *fami* dãdi caſu poſitum proderet. at quod idem hac fabula fuiſſe innuit, *publicitus*, facile adducor vt credam ſignificare hunc verſum ſcęna, *Libros inſpexi.*

Ambracia veniunt huc legati publicitus.

tametſi hodie omnes libri, *publice.* fortaſſe, quia verſus alterum illud excludere videtur: quod tamen aliter eſt. Verum regredior ad ſcænam, *Famem fuiſſe matrem.*

Logos ridiculos vendo, agite licemini.
Qui cena poſcit, ecqui poſcit prandio?
Hercules te amabit, prandio: cena, tibi.
Ehem annuiſtin? nemo meliores dabit.
Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.

totus ſermo de logis eſt & dicterijs paraſiticis, quorum auctionem prædicat. itaque reſcribendum cenſeo, *Nullis meliores eſſe paraſitis ſinam.*

CAPVT II.

Viri eſt officium. Contemnere. inde deduci contumeliam. Fames percipit. Multæ in Sticho cenſuræ. locus Terentij indidem adumbratus.

NISI omnia me fallunt, illud non belle legitur ſcæna, *Mercurius qui Iouis.*

Nunc vltro hoc deportem! haud placet, neque id vero officium arbitror.

ſententia certe magis requirit, *neque id veiri officium eſſe arbitror.* Puer tam lætæ rei nuncius magnifice ſe infert, & parum virile arbitratur, tantum gaudij vltro propalare. & ſic, vt emendaui, Terentius Phormione.

Quid te futurumſt? GE. neſcio hercle. vnum hoc ſcio;
Quod fors feret, feremus æquo animo. DA. placet,
Hem! iſtuc viri eſt officium.

de quo loco quid alij cenſeant neſcio, mihi liquet aſſeuerare de Plauto eſſe adumbratum. Eadem hac ſcæna,

Contundam facta Talthybij, contemnamq. omnis nuncios.

Proprie dictum, *contemnamq.* Id verbum ſuperbiam indicat ex alto deſpicientium alios. Terẽtius Eunucho. *Hic ego illum contemſi præ me.* Itaque Vlpiano auctore a contemnendo contumelia: quæ aut fit, cum contemtum alicuius facto oſtendis; aut dicitur, cũ verbis ſolis. Aſinaria. *Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur.*

Hoc ergo hîc ſollicitari non debuit:ſed nec illud,vt meus animus eſt, ſcæna hanc ſequente.

DI. At ego perij,cui medullam laßitudo perbibit.
GE. Quid ego? cui miſero medullam ventris percepit fames.

aut ſcribendum,*percipit fames.* Percipere .n.deguſtare interdum eſt, & ideo apte oppoſitum illi, *perbibere.* non diſsimile illud Menæchmis. *Quid ceſſas dare Potionis aliquid, priuſquam percipit inſania?* etiam παρονομασίαν quæſitam apparet in *perbibit* & *percipit.*

CAPVT III.

Opera vocata, emta. Operam emere, dare. In ſummam crucem. Sticho duûm locorum correctio.

PROFECTO ſic eſt.iocos vndiquaque Plautus captat, & cum minime ſperes,ſæpe maxime. quæ res illi theatra Romana plurimum deuinxit. nam ea niſi riſu diffluerent, & inopinatis ſalibus excitarentur, ſomnum non tenebant. nunc in morbo plerique ioci cubant, & ne agnoſcuntur quidem. Vt hoc loco ſcænæ, *Libros inſpexi.*

Cenabis apud me,quoniam ſaluus aduenis.
EP. Vocata eſt opera. GE. num quidem tam graue eſt?
Promitte. EP. certum eſt. GE. ſic fac,inquam.

illa verba,*num quidem tam graue eſt,*quid velint non video.Lambinus, vt ſentētia aliqua eſſet,

ędere maluit, *nuncquid hoc tibi tam graue eſt*. Sed non placet a libris euagari tam longe, vt tam frigidus ſenſus eliciatur. Emēdo, *numquid emta? ni graue eſt, Promitte.* conſidera litterarum ductum; vnum apicem ijs a nobis additum, præterea nihil, inuenies. Epignomus vocatam operam ſuam dixerat, ſignificans alio ad cęnam ſe vocatum. id paraſitus eludens, & alio torquens, at ea opera, inquit, an emta etiam eſt? nam ſi vocata tantum, etiam nunc res integra eſt. Mercenariorum operę *vocantur*, cum ad opus faciundum arceſſuntur: eædem *emuntur*, cum pretium certum operæ dicitur. illo facto, etiam nunc negocium vel capeſsere, vel repudiare poſſunt: hoc ſi conuenit, neceſſe eſt operam abſoluere & conductori probare. ita *emere operam* dixit Epidico. *Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioſo velim.* Et dant operam, qui vocati aſſunt. Ciſtellaria de conuiuis, qui genium ſuum curarant belle.

Ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dediſtis.

Sequitur ſcæna. *Sed ita quod occœpi.*

Quid agitur. E P. Dixi equidem, in carcerem ires.
G E. quin ſi iuſſeris,
E o quoque ibo P Æ. di immortales, hic quidem vi ſumma in crucem
Cena aut prandio perduci poteſt.

Vi ſumma latine & ornate dicitur, ſcio: ſed huc qui intruſerunt, ne illi parum de verſu laborarunt. Mihi nihil videtur certius ſuſpicione mea, *in ſummam crucem*. Neque ſane

opus erat vi ſumma, vt Gelaſimus in crucem perduceretur, ſi prandio aut cena id fieri poſſet.

CAPVT IV.

Lupillorum duricies. ex ijs nummi comici. Catulli hendecaſillabum emendatum.

SCÆNA, *Agite ite.*
Pro opibus noſtris ſatis commodu-
le, nucibus fabulis, ficulis,
Oleæ interrupto, lupilli comminuto cruſtulo.

Lupilli comminutum cruſtulum memorat, quia duricies lupini poſtulat vt comminuatur. nam ob eandem ex eo potiſsimum nummi comici fiebant, de quibus Horatius, *quid diſtent æra lupinis.* & Pœnulo Plautus.

Agite, inſpicite aurum eſt. CO. profecto ſpectatores comicum.
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boues.

Ecce etiam bubus maceratum lupinum obijci ait, eiuſdem duriciei cauſſa. Hoc cum ſcirem, elegãtem Catulli locum in ſubturpi epigrammate emaculabam anno, cum ſudo & ſereno die cum viro nobili & perfamiliari meo Cornelio Vuerdeburgio prodeambularẽ ante Coloniẽſium mœnia. nam is hæc cum legeret, ita vti cottidie illo ſuauiſsimo conuictu noſtro tale aliquid ſolebamus,

A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua,

Muccuſq. & mala pituita naſi.
Hanc ad munditiam adde mundiorem,
Quod culus tibi purior ſalillo eſt,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque id durius eſt faba & lapillis.
Quod tu ſi manibus teras friceſq.
Non vmquam digitum inquinare poſſis.

num oculi tibi cæcultant, inquam, frater? aut typographus aberrauit? certe enim arbitror in Catulli libris legi, *Atque id durius eſt faba & lupillis.* Quid quæris? coniecturam meam non credidi, ſed memoriam; priuſquam domum reuerſus editionibus varijs inſpectis, in omnibus *lapillis* repperi. Quod ego in malam crucẽ inde præcipitandum cenſeo. nam mirum ſi lapilli manibus fricari teriq. poſſunt: & quæ illis cognatio cum fabis? at lupillis magna. nam & legumina ſunt ambo, & duriciei eius quæ prope prouerbium ſuſtulerit. de lupillis dixi iam ante. de fabis notum hoc Terentij, *in te iſthæc cudetur faba.*

CAPVT V.

Sollicitare ſede ſua. Quique. Longum eſt iterare. Cicero correctus de Finibus. item de natura Deorum.

VIDE & hæc, Colui, ex M. Tullio; quoniam quidem nos Plautum cum Cicerone ſæpe componimus, ipſo non inuito. Editur libro primo de Finibus bonorum & malorum.

Omneſq. & metus & ægritudines ad dolorem referuntur; nec præterea eſt res vlla, quæ aut ſua ſede naturam ſollicitare poßit, aut frangere.

Primum erudite dixit, *ſede ſua ſollicitare*, hoc eſt loco mouere: vt Ennius, *tela manu ſollicitare*, pro eijcere.

Hiſtri tela manu iacientes ſollicitabant.

& ea huius verbi propria notio eſt. Deinde in manuſcriptis non *frangere* eſt, ſed *tangere*. Scilicet adhæſiſſe litteram a proxima voce, & corrigendum eſſe *aut angere*. quod miror viros doctos fugere potuiſſe. De metu & ægritudinibus loquitur: ille animi mentem ſollicitat, hæ etiam angunt, vnde *angor* & *anguſtia*. Libro II. de hiſdem Finibus, cum multis refutaſſet errorem Epicurium de indolentia, quam illi ſummam voluptatem dicebant, ſubiungit, ad Torquatum conuerſo ſermone.

Tu autem inter hæc tantam multitudinem hominum interiectam non vides nec lætantium, nec dolentium? Non prorſus, inquit. omnesque qui ſine dolore ſint in voluptate, & ea quidem ſumma eſſe dico.

Corrigit D. Lambinus, *Non. prorſus, inquit, omnes qui ſine dolore ſint.* Ego propius veterem ſcripturam, *omnes quiqui ſine dolore ſint*. Quiqui, ſunt quicumque. Plautus Pſeudolo *Quiqui eſtis, vos commendo*. Addam nunc ex de natura deorum I.

Vnde vero ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur apte cadentes ad animum efficiendum, pariendoſq. ſenſus? longum eſt iter ad omnia;

quæ talia ſunt, vt optata magis quam inuenta videãtur.

Emendant alij aliter, ſed proxime libros ego. *Longum eſt iterare omnia*. Ita aliquanto poſt: *De Platonis inconſtantia longum eſt dicere*. In Verrẽ de Signis. *Longum eſt & non neceſſarium commemorare, quæ apud quoſque viſenda ſunt tota Græcia.* & omnino hæc ſollemnis formula ſermonem præcidendi, quam ignorarũt homines vappæ, qui hunc locum primi contaminarunt.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI TRINVMMVM QVÆSTIONES.

I. G. IOSIÆ MERCERO IO. F. S.

ABITVM te parare, Ioſia Mercere, & Auaricum Biturigum cogitare, dolebam; quod ſuauitate tua & illa ſtudiorum gratiſsima viciſsitudine ægre me cariturum viderẽ. nunc a minore cura ad ſummum timorem deductus tam repẽtino morbo tuo, vehementiſſime conturbor. Ego vero, mi Mercere, in Biturigibus te eſſe multo mallem, dum ſaluus & validus eſſes. nam fruereris pręſtãtiſsima doctrina ſummi ac diuini viri : cuius aſsiduus vſus tibi emolumento maximo eſſet, ad profectum ſtudiorum, mihi non leui ſolatio, quare facilius ferrem diiunctionem noſtram. amo enim te maxime cauſſa tua, & ita fructu iucũditatis quam ex cõſuetudine noſtra capio delector, vt tuorum in primis commodorum rationem ducam, ſalutem vero etiam mea potiorem habeam. Itaque adnitere, ſi me amas, vt quam commodiſsime cõualeſcas, inq.eam rem contende neruos accerrimi iſtius ingenij tui. Quod a te factum, & profectum etiam permul-

permultum audio. nam ſollicito mihi de valitudine tua Iacquierius noſter hodie renunciauit, meliuſcule tibi eſſe, &tertianam abiſſe. Quod ſic me recreauit, vt hæc e Plauto deproperauerim tibi, quibus dum firmior eſſes animũ morbo laſſum reficeres. ad Trinummum ſunt coniectanea quædam, vt vides, ipſa quoque vix trioboli: ſed amor tuus facit, vt minima maxima noſtra tibi placeant omnia. quem huc adhibe; & VALE atque SALVE, Mercere noſter.

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI TRINVMMVM
QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Res eſt cum malo. Exungere, Antidire. Antidhac. Incipiſſo. Trinummus multoties correcta, illuſtrata. emendatus apud Nonium Varro.

MAGNA fides Io. Camerarij in Plauto emendando, ſumma religio fuit. non indulſit ille, vulgo vt iam fit, ingenio, quo præclariſsimo fuit, in mutatione ſcripturæ vſitatæ; ſed in ijs omnibus quæ de ſuſpicione cogitate & deliberate nouauit, facti ſui nos conſcios eſſe voluit. Vel hoc Trinummi initio, quod mendoſiſsime legebatur,

Quod ſi exquiratur vſque a ſtirpe auctoritas,
Vnde quidquid auditum dicant, niſi id appareat,
Famigerator næ ſit cum damno & malo,
Hoc ita ſi fiat, publico fiat bono.

quam probabiliter edidit! *Famigerator iure ſiet.* tamen teſtari voluit in mss. aliter haberi, *Famigerator ire ſit*, & quidem cum litura. quod nō temere ab eruditiſsimo homine factum, ſed excitandæ induſtriæ noſtræ cum ſcirem, cœpi attentius conſiderare ſcripturam membranaceam, & licet illud Camerarij non improbem, tamen affirmare prope auſim Plauti ger-

manam me eruiſſe ſcripturam.

Famigeratori res ſit cum damno & malo.

Scilicet S quod geminari debebat ſemel poſitum fuit, aut in ea litura fortaſsis quam innuit Camerarius delituit. *Res mihi cum eo eſt*, vſitatum loquendi genus, & frequentatum in litibus & iudicijs maxime. de quibus hic Plautus cum ageret, occaſionem ſumſit lepidiſsimi ioci, *Res cum malo ei ſit*; pro quo vſitate dicimus, *malum habeat.* Scæna Minus quindecim.

LE. Quid factum eſt eo?
ST. Comeſtum, expotum, exutum, elotum, in balneis.

Correxerim, *exunctum, elotum.* Magnum luxus inſtrumentum cottidianæ veterũ vnctiones, lauationes. vnde decoctorum verba *eluere*, *exungere*; pro, patrimonium luxu lancinare. Rudente. *Eluas tu an exungare, ciccum non interduim.* Exungere ergo vnguentis abſumere eſt, & ea vox myropolas eius argenti, cuius rationem ſero inſiſtit Lesbonicus, bonam partem abſtuliſſe ſignificat. eadem ſcæna omnes edũt,

Credo ego iſtuc Staſime ita eſſe, ſed campans genus.
Multo Syrorum iam anteit patientia.

Repono, *antidit patiẽtia*, auctoribus Nonij ſcriptis codicibus. ita Caſina dixit *antideo*; & non ſemel, *antidhac.* quam vocẽ venuſtiſsimis verſib' M. Varronis reſtituo, de ſẽtẽtia amici mei. laudat Nonius in Virgindemia ex Agathone.

Quid triſtiorem video te eſſe quam angit hæc
Lampadion? quod familiaris filius

Amat, hac ſpes eſt auxili argentaria;
Ideoque ſcapulæ metuunt virgindemiam.

Corrigebat iam ante biennium Gab. Rolandius, *Quid triſtiorem video te eſſe, quam antidhac,* neque illa coniectura quidquam certius. Scæna, *Salſipotenti & multipotenti,*

Nam pol placido te & clementi, meo vſque modo vt volui, vſus ſum , haud alio.

In veteribus eſt, *vſus ſum in alio*. Vnde fecerim, *in alto*. ita enim aliquot poſt verſibus etiã eſt, *Nam abſque foret te, ſat ſcio in alto Diſtraxiſſent.* Scæna proxima.

Nunc ego ſi potero ornamentis hominem circumducere.
Dabo operam vt me eſſe ipſum plane ſycophantam ſentiat.

Malim, *ipſus plane*. nam de conductore loquitur. Interiectis multis verſibus, ſequitur deinde.

ST. Magnum facinus incipis ſic petere. CH. quid ita? ST quia pater,

Lego, *incipiſsis petere*. neque aliter vmquam poëta ſcribſit.

CAPVT II.

Hiſtrionum pœnæ. Dignus ſalutis. multæ ad hanc fabulam cenſuræ.

EADEM ſcæna iocus eſt, ſed eius ſententia mihi quidem obſcura eſt, fortaſsis & alijs.

——*ST. ergo ipſuſne es? CH. ipſiſſimus.*

Abi hinc ab oculis ST. enimvero ſerio quoniam aduenis,
Vapulabis arbitratu meo & nouorum ædilium.

nam cauſſa cur vapularet Charmides in aduētu ſolo nulla eſt. itaque inclino legere, *enimuero ſero quoniam aduenis Vapulabis.* Nam ad hiſtrionum pœnas alludi manifeſtum. ij autem ſi quid deliquerant in actione vapulabant. in Ciſtellariæ epilogo. *Ornamenta ponent: poſtidea loci Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet.* in culpis autē fuiſſe, ſi quis ſerius quam oporteret, proſcænium ingrederetur, non dubium eſt. Hinc ſycophanta Charmidi minatur, qui fabulæ iam magnam partem acta peregre domum venit, daturum eum pœnas, quod ſero venerit. Scænæ ſequentis initio.

Staſime facite propere celerem, recipe te ad dominũ domum,

recte amicus noſter N. Faber, *face te propere celerem.* Paullo poſt eſt.

Quid homo nihili non pudet te, tribus ne te poteriis
Memoria eſſe oblitum?

Legerim, *Memoriæ eſſe oblitum.* & quod non longe ſequitur.

Ambitio iam more ſancta eſt, liberaſt a legibus.

concinnius videtur, ſi ſcribas: *liberata legibus.* ad quod exemplum paſsim vſurpatur, *ſolutus legibus.* Multis verſibus poſtea.

Sed ſi non dicto audiens es, quid ago? ST. damnum malum.

Claudicat verſus, quem reſtituo leui inmutatione, *da magnum malum:* quod noſtrum ita

ſtabilitur ijs verbis quæ inibi ſequuntur, vt me plura addere non opus ſit. Scæna vltima quod editur,

L T. Charmidem ſocerum ſuum
Lyſiteles ſalutat. CH. di dent tibi Lyſiteles quæ velis.
CH. Non ego ſum ſalute dignus?

Nonius in libris ſuis aliter legit, *Non ego ſum ſalutis dignus?* & metaplaſmum caſuum ait: ego purum putum helleniſmum, ἄξιος χαρᾶς, τιμῆς, ὑγιείας eſſe ſcio. illud ſub finem comœdiæ in muliebrem ſexum acerbe & virulenter dictum.

Miſeria vna vni quidem homini'ſt affatim. CH. immo huic parum eſt.
Nam ſi pro peccatis centum ducat vxores, parum eſt.

ſed dixerat eandem in ſententiam Philemo quoque, de quo hanc fabulam noſter interpretatus eſt,

ἀθάνατον ἐστὶ κακὸν ἀναγκαῖον γυνή.

neque diſsimiliter Propertius, vel potius ſimillime huic loco.

Cum ſatis vna tuis inſomnia portet ocellis,
Vna ſit & cuiuis femina multa mala.

CAPVT III.

Communitare prouinciam. Hæc fabula pluries emaculata. locus indidem cum Ariſtophani compoſitus.

QVOD prólogo Luxuria mater filiæ Inopiæ ait,

Adeſt, hem illæ ſunt ædis, i intro nunc iam.

Verius cenſeam ſcribi, *Ades*, vel certe, *Adeſto.* nam ad ſe eam verbis & geſtu trahit, vt in domum Lesbonici intrudat. Scæna prima,

Crede huic tute, iam ſuam melius rem geſſerit.

Sic editi veteres. viderunt verſum ruere correctores, & dictiones traiecerũt, *C. h. tute, ſuam iam.* Arbitror potius debere, *Crede huic tutelam, ſuam melius rem geſſerat.* nam memini, ipſa hac fabula alibi id nomen ſimiliter fuiſſe deprauatum. Ait eadem ſcæna Megaronidæ Callicles tutor liberorum Charmidæ.

Nunc ego te quæſo vt me opera & conſilio iuues,
Communiceſq. hanc mecum meam prouinciam.

Difficile eſt explicare hoc loco iſtud, *Communices.* & magna me ſuſpicio prehendit, rectius fore *Communiteſq. hanc m. m. p.* Prouinciæ communiuntur, & *munimus munia* noſtra, cum id quod officij noſtri eſt ſedulo curamus: De hoc dubitandum vix arbitror. Scæna, *Non optuma hæc ſunt.*

——qui nihil aliud niſi quod ſibi ſoli placet
Conſulit aduorſum filium, nugas agit,
Miſer ex animo fit. factius nihilo facit.

Repono, *ſectius nihilo facit.* nam ſenſus eſt, cum qui filio pertinaciter aduerſetur, præter animi dolorẽ nihil aſſequi. nã ipſum filiũ nihilo ſecius id quod ſtatuerit perſequi. Nugator ille, vnde huic fabulę nomẽ, ridicule iterat

interrogationes ſuas depreheſus a Charmide.

ST. eho quæſo tu is es?
CH. is enimuero ſum. ST. ain tu tandem, is ipſus ne es. CH. aio. ST. ipſus es?
CH. ipſus inquam Charmides ſum. ST. ergo ipſus ne es? CH. ipſiſsimus.

ſed ijs ſimillima Ariſtophani Pluto hæc ſunt.

τί φής. ἐκεῖνος οὕτως εἶ σύ; Πλ. ναί.
Χρ. ἐκεῖνος αὐτός; Πλ. αὐτότατος.

Scæna ea quæ hanc ſequitur.

nunc hic diſperij miſer,
Propter eoſdẽ, quorum cauſſa fui hac ætate exercitus.

Nonius Plautum affirmat ſcribſiſſe, *hoc ætate:* de quo nihil aſſeuero. niſi malim ſane, *hoc ætatis.*

Caput IV.

Solide formidare. Quæſere. Nuptiæ diſpectæ. Caſſus tumultus. Blaterare. Appuleij de Aſino multa emendata.

APPVLEIVM quod amas, nihil peccas Mercere. ſupra vulgi opinionem is ſcriptor bonus eſt, & in quo fugitiuæ vetuſtatis erudita veſtigia plurima cõpareant: quam qui non reprehẽſam, ſed porro exploſam volunt, nihil mirum faciunt, ſi hunc etiam auctorem in manibus eſſe nolunt. aliud tuum iudicium, quo ad hæc examinanda ſodes vtere. Mileſiæ fabellæ de Aſino libro I.

Itaque maturius nos quieti reponamus, & ſomno

leuata laſſitudine noctis, ante lucem aufugiamus iſthinc quam putas longiſſime.

Illa *quam putas* nulla bona ſententia ſunt, & non dubium mihi quin corrigi debeant, *quam poteſt longiſſime.* Libro III.

Pauco, inquit, & formido ſolidæ domus huius operta detegere, & arcana dominæ meæ reuelare.

Rectum eſt, *formido ſolide.* hoc eſt, vehementer, admodum. Sic Terentio *gaudium ſolidum*, magnum & inſigne; Plauti Epidico *malefacta ſolida*, inſignita. Libro IV.

Vir ſublimis animi virtutiſq. præcipuus multis nos affatibus multiſq. precibus quærens adhortatur, per dextram Martis, per fidem ſacramenti, bonum commilitonem cruciatu ſimul & captiuitate liberaremus.

Scribo, *multiſq. precibus quæſens.* a Plauto hoc more ſuo tranſſumſit. Bacchidibus. *Mirum eſt, te me opere tanto vt redeam quæſere.* Eodem IV. libro.

Sic inſtar Atracis vel Pirithoi vel Proteſilai deſpectæ diſturbatæque nuptiæ.

Quid illud? *deſpectæ nuptiæ.* equidem non intelligo, niſi tamen rectius ſit, *diſpectæ.* Diſpeciſci, diuellere, dirimere, diſijcere; vt compeciſci, coniungere, pactum coire. neque hoc quidquam certius eſt. Libro VI. eſt in deſcriptione nuptiarum Cupidinis & Pſyches.

Horæ roſis & ceteris floribus purpurabant omnia: Gratiæ ſpargebant balſama: Muſæ quoque canora perſonabant.

Malim, *Muſæ voce canora perſonabant.* vt in pro-

logo Pœnuli eſt.

Matronæ tacitæ ſpectent, tacitæ rideant,
Canora hîc voce ſua tinnire temperent.

& opinor antique fuiſſe in membranis, *voque.* de qua ratione ſcribendi ſupra attigi. Sequitur non longe eodem VI. libro.

At illa quamuis humi proſtrata tamen tenaciter loro inhærebat, vt me procurrente aliquantiſper tractu ſui ſequeretur, & occipit ſtatim clamoſis vlulatibus auxilium validioris manus implorare. ſed fruſtra fletibus caſum tumultum commouebat; quippe cum nullus adforet &c.

Primum in veteri edito eſt, *me procurante:* neque dubitari poteſt quin melius ſit, *procurſante.* Deinde legerim, *tractus vi.* nam anicula loro inhærens aſini procurſantis & lorum ad ſe trahentis vi raptabatur. Poſtremo corrigo, *caſſum tumultum:* hoc eſt, inanem & irritum. Sic ab eodem Appuleio *caſſam terriculam* & *ſpeculam caſſam* dici obſeruaui in Veriſimilibus. Libro IX.

Hæc & alias ſimiles affanias fruſtra ablatrantes eos retrorſum abducunt pagani, & in Tullianum compingunt.

Manifeſto verius, *fruſtra blaterantes.* Aulularia Plautus. *De blatteraſti vicinis omnibus.*

IANI GVLIELMII
IN PLAVTI TRVCVLENTVM QVÆSTIONES.

I. G. SVFFRIDO PETRO IC. S.

ADVERSARIA tua, Suffride, variantis in Cicerone ſcripturæ e libris Turingicis & Belgicis cum cura legi, & quæ eiuſmodi viſa, vt pro veris probare poſſent, iudicio ſelegi. Quid quæris? ἀγαθῶν ἀγαθίδας, quæ in Græcia prouerbium ſuſtulerunt, reppetimus. ita illic multa, aut pura puta videas, quæ publice mendoſa; aut ſarta tecta, quæ lacunoſa. neque raro hiatus ipſe membranarum a te nõ neglectus profuit, & auram afflauit, qua fretus ad emendationem meo porro remigio conarer. Turingicis in primis nihil præclarius, &, quod res indicabit, neque Lambini, nec ceterorum, qui in hoc latinæ linguæ parente plurimi laborarunt, vlli ſinceriores. ad plures libros tantum eſſent. Eſt enim profecto ita, vt ſentio; in hoc bonos auctores emendandi ſiue ſtudio, ſiue artificio quodã, cum multũ poſsit laborioſa diligentia, plus aliquanto expolita ingenij elegantia, plurimum ſollertis

iudicij acumẽ;tum non minimum, vt in ceteris rebus humanis,ipſam valere fortunã.Nam ita pleræque corruptelæ,tamquam peſtes quędam, in intima optimorum librorum viſcera penetrarunt,atque ijs ſe partibus,quæ integrę ſuperſunt,agglutinarũt; vt internoſci a ſanis, aut euelli ex pulcerrimis corporibus nulla vi poſsint: quamuis omni huc animi contẽtione vel perſpicaciſsimus quiſque incumbat. At ſimul in membranas incideris notæ & fidei antiquæ, diluceſcunt plerumquę ex tenebræ, & produnt ſe diſperſæ paſsim & ſuffuſæ venuſtiſsimis coloribus maculæ: quas nullis veſtigijs per te, abſque illis monſtratoribus eſſet, perſequi & indagare,immo vero ne ſuſpicione quidẽ odorari potuiſſes. Ita ſine chirographis vetuſtis ijſdemq. bonis, cuiuſmodi in magna membranarum copia permagna raritas, correctio ſæpe irrita eſt & inanis; nonnumquam etiam temeraria & periculoſa. libros autem cuiuſmodi volumus & optamus apiſci, in fortunæ manu non noſtra poteſtate eſt. quibus tamen ipſis nemo ex vſu ſuo publicoque vtetur ſine ijs auxilijs, quæ initio poſui. Nam & aſsiduitate multa opus eſt, in pellegendo & comparando; & peracri ingenio, in perueſtigandis ipſius ſcriptoris qua verbis, qua ſententijs; & limato ſubactoq. iudicio, in dilectu eorum, quæ varia paſsim & inter ſeſe diſsidentia occurrunt. Tametſi incidunt non pauca, quæ hebetiores quoque, & ab iſtis præclaris naturæ dotibus,ita vti nos

ſumus, parum parati, dignoſcere & vtiliter monere poſsint. Quod alias ſæpe ſenſi, & nuper in Plauti: ſed nuſquam minus, quam ad Truculentum. ad quam tamen nonnulla notata, vt potuit in ſumma egeſtate librorum, diiudicanda tibi tranſmitto; vt tu ex copia tua plura & vberiora remittas.

IANI GVLIELMII IN PLAVTI TRVCVLENTVM QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Potiores. Truculento conſtituta loca duo. vnus aliquot verbis auctus.

TRVCVLENTO valde placuiſſe ſibi Plautũ locuples teſtis eſt apud Ciceronem M. Cato. Verum ſi reuiuiſcere poſſet, nullam æque inuitus legeret, ſat ſcio. adeo omnia lepidiſsimæ fabulæ membra trunca, mutila, deformata iacent; quibus ſalus magnam partem deſperata eſt, niſi noui Aeſculapije ſitu bibliothecarum huic Hippolyto redintegrando exſtiterint. Nos leuiter detergemus ſordidata quędam; vulnera grauiora curanda relinquemus ijs, a quibus ſalutem vniuerſam hic poëta exſpectat, non aliquot partium medicinam. Scęna prima.

Si iratumſt ſcortum forte amatori ſuo,
Bis perit amator, ab re atque ab animo ſimul.
Sin alter alteri potitus eſt, itidem perit.
Si raras noctes ducit, ab animo perit,
Sin increbrauit, ipſus gaudet res perit.

Verſu tertio melius veterrimę editiones *Sin alter alteri potior eſt*. Si inquit, mutuum fiat, vt & ſcortũ non offensũ ſit, & amator in primis adue̜ctoribus, tamen perit. Etenim vel noctes ra-

ras habebit, occupata etiam in alijs meretrice, & angore animi conficietur; aut crebro admittetur, & ipſe quidem bene erit, ſed acerrime fortune miſeri lancinabuntur. *Potiores* in re amorum eſſe eos qui amicæ animum maxime capiant dixi ad Menæchmos, & illud Caſina laudaui.

M E. Quam tu eius potior fias ſatiuſt me mortuam eiuſdem rei hoc illuſtre exemplum eſt: & locus Sticho.

Quem æquius eſt nos potiorẽ habere quam te? poſtidea pater.

Viros noſtros, quibus tu voluiſti eſſe nos matresfamilias.

Scæna, *Ad fores auſcultate.*

Reſpice huc. A S. quis eſt? D I. vobis qui multa
Bona eſſe vult. A S. dato, ſi eſſe
Vis, faxo erunt. D I. reſpice huc modo. A S.
io enicas me miſerum quiſquis eſt.

Male collocatæ litteræ perſonarum indices. Corrigo, *dato ſi eſſe vis. D I. Faxo erunt. reſpice huc modo.* Cum ancillula meretricio more benedicto contenta non eſſet, ſed rem & benefactum poſceret; Dinarchus, faciam, inquit, bene: tu huc modo reſpice. atque hoc res eſt, non ſuſpicio. Sequitur.

Vos reddidiſtis me otioſum. A S. quid iam amabo?
D I. expedibo,

Rem perdidi: cum re meum negotium abſtuliſtis. in Nonio qui hæc laudat pluſcula verba ſunt, ſed haud dubio a Plauti ipſius calamo, non grammaticorum. *D I. ego expedibo, Rem per-*

didi apud vos : cum re &c.

CAPVT II.

Prouenire bene, nequiter. Fragmentum in ipſa fabula oſtenſum. alia emaculata.

GRAVIS illa atque ſeuera meretricũ obiurgatio eſt eadem ſcęna,

In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ atque orationes,
Lactéque; corda felle ſunt ſita atque acerbo aceto.

Sed venuſtius legetur meo iudicio, *felle ſunt lita atque acerbo aceto.* elegans quidem alluſio eſt, in *lita* & *ſita*. Ille verſus eadem ſcæna,

Dum habeat, tum amet; vbi nihil habeat, alium quæſtum cœpiat.

fragmentis huius fabulæ inſertur, corruptiſsimis verbis: quæ admonitu meo hinc corrige. Scænæ, *Quis illic eſt*, verſus poſtremus eſt.

——— ſed eiuum odium progreditur meum.
Triſtis exit, haud conuenire etiam hic velim Phroneſium.

Antiquæ editiones, *at conuenire etiam hic dum P.* Certum arbitror, *haud conuenit etiam hic dum Phroneſium.* ex eo quod triſté videt Dinarchũ colligit, nondum conuentam ab eo heram ſuã. Scæna, *Num tibi.*

Sed quod ego facinus audiui aduenięns tuum
Quod tu hic abſente me noui negotij geſſeris?
Cumq. bene prouenisti ſalua, gaudeo.

Verſus extra legem ſunt, & ſuſpicor poſtremo gloſ-

gloſſam eſſe illud, *ſalua*: quod ſententia non requirit. verſus igitur concinno.

Quòd tu hîc abſente me noui negotij
Geſſeris, cumq. bene proueniſti, gaudeo.

Non longe enim ſequitur. *Cũ tu rectè proueniſti, cumq. es aucta liberis Gratulor*, Prouenire bene, ἐυτυχεῖν; nequiter prouenire, δυςυχεῖν. exẽplis nihil opus eſt. nam infinita paſsim occurrunt. Scæna, *Ne expectetis.*

Iis te dono. penitet te quod ancillas iam?
PH. Quin etiam ne inſuper adducas quæ mihi comedint cibum.

De vitio loci vere monui nuper; verba tantum germana recolligere non potui: quæ nunc adiutus vetuſte cuſis repono. in ijs enim liquido, *quod ancillæ ſunt iam.* Reſcribo ego.

Iis te dono. PH. pœnitet ne te, quot ancillæ ſunt iam?
Quine etiam nunc inſuper adducas, quæ m. c. c?

Paucæ tibi videntur, ait tot ancillę, quot mihi nunc ſunt, niſi tu plures adducas vltro eſtrices in ædes meas. *Quine* ſępe Plauto excidiſſe oſtẽdi aliquoties. & ſæpiſsime *ne* & *nunc* permutantur. neque vlla alia audacia hic noſtra eſt.

CAPVT III.

Non mu. Vis eſt experiri. Nonnulla hac fabula illuſtrata, correcta.

MALA ancillula Aſtaphium male docet heram ſuam Phroneſium meretricem,

Lepide efficiam mea hera officium,
vide intus modo vt tu tuum
Item efficias. ama, id quod decet, rem tuam.

Rectius cenſeo, *Lepide efficiam meum, hera, officium.* ſequitur enim. *tu tuum.* Paullo poſt:

Nunc dum iſti lubet, dum habet, tempus, ei rei ſecunda Prome venuſtatem.

Libri veteres, *obſecundas Prome.* emendauerim, *tempus ei rei obſecunda, exprome venuſtatem.* Paucis interiectis verſibus.

———— Sed obſecro da mi operam, vt
Narrem quæ volo. D I. nam quid eſt? A S. nam ea refert non muſſet
Intus bolos quos dat. D I. quid amator nouus quiſpiam?

Sic mss. nullo ſenſu: quem non inelegantem elicio mutatione non magna.

D I. nam quid eſt? num mea refert? A S. non muſſet Intus

Cum ancillula operam Dinarchi poſceret ad audiendum; ille ſperans de ſe aliquid illi mādatum, & fortean exſpectari ab amica aduentum ſuum, quid, inquit, rei eſt? an aliquid ad me pertinet? Reijciens tam ſtultam vrbanitatem puella; nihil ad te ait: ſed hera mea quos lucri bolos nacta eſt? Non mu, nihilum. Ennij notum carmen eſt. *neque mu facere audent.* Poſtea eſt.

Animo bono male rem gerit. D I. perij hercle ego

ſtultus es,
Qui facta infecta verbis facere poſtules.

Mss. *perij hercle ego idem.* non fallor, & corrigo *perij hercle ego quidem. Aſt. ſtultus es.* Illa eadem hac ſcæna maculoſiſsima vulgo legimus,

AS. amitte, ſine. DI. amitto, intro. AS. ad te quidẽ.
DI. Immo iſthoc ad vos. AS. iri non poteſt. DI. nimium poteſt,
Experiri ſine. AS. immo operire. DI. meliuſt experirier.
Dicã adeſſe. DI. vbi eſt? AS. occupataſt. DI. reſiſte.
AS. abeo, fruſtra es. DI. redin,
An non redis? AS. ſed vocat me quæ in me plus poteſt. DI. quam poteſt?

Reſtituo, non de ingenio; ne erres; neque enim ea temeritate ſum, vt locum totum ſuſpicione audeã inuertere; ſed de fide vetuſtiorum editionum. quarum belliſsimam ſcripturam inſubidi homines non recte mutarunt. ſic igitur illæ ad verbum.

AS. iri non poteſt. DI. immo poteſt,
Experiri ſine. AS. immo operire: vis eſt experirier.
Dicam adeſſe, niſi occupata eſt. DI. reſiſte, hem!
AST. fit fruſtra. DI. redin'
An non. AST. redeam, ſed vocat me, quæ in me plus poteſt.

Veriſsime. Scita & verſuta Aſtaphium negat introiri ad heram ſuam poſſe. Dinarchus, at ego experiar potius ait, & poſſe me arbitror. immo tu opperire potius, reſpõdet illa. nam ſi experiare, vim facies. ego potius intus

viſam, & ſi illi otium eſt, ad te renuntiabo. euntem reſiſtere adoleſcens iubet; illa fruſtra eum eſſe ait, & ſimul ne inhumanior videatur herili imperio ſe vocari domum ait. Corrumpendi loci occaſionem dedit eorum inſcitia, qui non ceperunt illa: *Vis eſt, experiri.* quod facetiſsime dictum eſt. nam *experiundi* verbum de vi proprie dicitur, ſiue ea ciuilis ſit iudicij, ſiue militaris armorum. Bacchidibus. *an ego tecum experiar vi maiore.* Terentij Eunucho. *Omnia prius experiri ſapientem quam armis decet.* Sequitur ibidem loci.

Vnum aibas, tria iam dixti verba, atque mendacia.

Verſus mendum indicat, quod vt diſpellatur cenſeo inſerendam voculam, *atque ea mendacia.*

CAPVT IV.

Opera eſt. Duûm locorum Truculenti correctio..

CERTISSIMA corrigendi ratio eſt latinitatis accurata notatio. hactenus, ſi ſuſpicio noſtra non abducatur a veſtigijs corruptæ ſcripturæ. nam vt quodlibet pro quolibet ſubſtituamus, opinor inſanis tantum probari poſſe, cordato homini nemini. in quo tamen mirum eſt quam ſibi indulgeant multi; quos aliud agere mallem, quam in hac ſegete infamiam ſuam metere. Meæ ſuſpiciones

ſi non veræ aut probabiles pleræque, at certe neque a conſuetudine latine loquentium abhorrent, neque longe aberrant ab ipſis litteris receptæ lectionis. cuiuſmodi & hæc eſt ſcæna, *Blitea & lutea.*

PH. Numquid vis? DI. facultas opera vbi mihi erit, ad te venero.

Offendit me genus ſermonis, *facultas opera vbi erit.* nam certe ſufficit in hac formula, *opera vbi erit.* quomodo ſæpe boni auctores, illo modo neſcio an vmquam. emendabam igitur,

PH. Numquid vis? DI. valeas. opera vbi mihi erit, ad te venero.

Numquid vis, abeuntium formula: vt alibi dixi. ei reſpondent, Vale, Valeas, Recte, huiuſmodi alia. ſupra hac fabula.

Numquid iam me vis aliud? PH. vt quando otium

Tibi ſit ad me reuiſas tu. DI. valeas. PH. vale.

qui locus huic admodum ſimilis eſt. Trinummo. *Numquid prius quam abeo me rogaturus? M. vale.* Terentij Eunucho. *Rogo, numquid velit. recte, inquit. abeo.* Non fefellit me, ſpero, hæc coniectura. illud timidius confirmo, indicabo tamen ſcæna vltima,

Quamquam hic horridus eſt, quamquam hic ſquallidus eſt, at eſt bellus mihi.

legi in veteribus, *ſquallidus, citus bellum init.* Fecerim, *ſcitus bellum init.* & iocus proteruior eſt, ſed non indignus viroſa meretricula: cui non elegantes ſoli belli videntur, ſed illi

cumprimis, qui in illo duello non ignaui ſunt, ſed depugnant morituri.

CAPVT V.

Cicero pro Sulla, In Piſonem, Cum gratias ſenatui egit, membris integris auctus.

DE Turingicis libris quod dixi, Sufride, libet illuſtri exemplo vno & altero oſtentare. quid illis plenius & integrius videri poteſt, pro P. Sulla?

Atque idem ego neque P. Sullam ſupplicem ferre, neque eoſdem Marcellos, neque huius M. Meſſalæ hominis neceſſarij preces ſuſtinere potui. neque enim eſt cauſſa aduerſata naturæ; nec homo, nec res miſericordiæ meæ repugnauit: nuſquam nomen, nuſquam veſtigium fuerat; nullum crimen, nullum indicium. Suſcepi cauſſam, Torquate.

tamen rectiſſime membranæ multis hæc verbis augent, *neque eoſdem Marcellos pro huius periculis lacrimantes adſpicere.* & inferiore membro iterum, *nullum crimen, nullum indicium, nulla ſuſpicio.* probiſſime. ab his enim fontibus ad accuſationem proceditur. Eodem hoc libro in epilogo ſine ſuſpicione lacunæ legimus.

Sed ne exſtinctor patriæ, ne proditor, ne hoſtis appelletur, ne hanc labem tanti ſceleris in familia relinquat, id laborat, id metuit; cui honoris fructus integros non ſit relicturus, ne æternam dede-

coris memoriam relinquat.

At quanto copioſius noſter vetus, *id laborat, id metuit; ne denique hic miſer coniurati & conſcelerati & proditoris filius nominetur; huic puero, qui eſt ei vita ſua multo carior, metuit; cui honoris &c.* quæ quin pura puta M. Tullij ſint, dubitare nos res non patitur. In L. Piſonem editur.

> *Animo conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere conſulatus,*

adijcit Turingicus, *omni officio tuendo, maximeq. id quod vis ipſa præſcribit reip. conſulendo.* & quis ille Carneades, qui hęc Ciceronis ſint an gloſſographorum in dubium vocet? Vim ipſam præſcribere ait, vt conſul reip. conſulat; ſcilicet, quia inde ſic nominatus. Attius.

> *Qui recte conſulat, conſul cluat.*

Ea quam a reditu ſuo in Senatu habuit vulgo vulgatur.

> *Alio transferenda mea tota vita eſt, vt bene de me meritis referam gratiam, cum apertis hoſtibus bellum geram, timidis amicis ignoſcam; proditoribus meis non indicem dolorem profectionis meæ, defenſores reditus dignitate conſoler.*

Membranæ noſtræ, *bene de me meritis referā gratiam, amicitias digne perſpectas tuear, cum apertis &c.* & mox. *proditores non indicem: dolorem profectionis meæ reditus dignitate conſoler,* omnino plenius & melius; vt probabo, ſi deus fa-

uerit, ſi aggrediar id,ad quod tu me cohortari non deſiſtis; ego magis magiſq. indies reformido,& propemodum abijcio, difficultate deterritus: ſed ſi ea præſidia, quæ ſpero & opto, habuero; fortaſſe non indignum aliquid veſtra exſpectatione & meo ſtudio emoliar.

IANI GVLIELMII IN PLAVTVM MISCELLÆ QVÆSTIONES.

I. G. PAVLLO MELISSO COMITI Sacri Palatij, & ciui Romano. S.

MENSIS hic ſextus labitur, dum in Gallia ſedeo: cum interim a te nihil non litterarum modo, ſed ne rumoris quidem affluxit. amabo, Meliſſe, ſicine decet? inter nos quidem. me cum valetudo tua ſollicitat; tum ægre patior iamdiu, tacere cõcordiam Muſarum tuarum: quæ, Coloniæ dum eram, ſæpicule grauiorum ſtudiorum moroſitatem gratiſsima ſuauitate demulcebant. Quid autem amici communes, ecquid viuunt & valent? nam ego quidem, Hallerus, Poſthius, Modius, illæ animæ meæ, vbi ſe gentium oblectent, & quid me, quid te, quid Muſas ſuas ament aut curẽt, iuxta cum ignariſsimis ſcio. Quid de Io. Camerario dicam? quem certo ſcio gaudere, in Plauto me cum fructu nonnullo fuiſſe; & hanc quoque partem ab incomparabili viro parente ſuo nihilum degenerare: qui non, vt iſti hodie varrones, iuniorum induſtriæ inuidebat; verum, vt ille apud Liuium ſenex, &

ipſe ſe gloriæ ſeniorum ſuccreuiſſe meminerat, & ad ſuam gloriam conſurgentes alios lætus adſpiciebat. Merito igitur fato ſuo functum quoque ellogium hoc proſequitur, VIRVM OPTIMVM DOCTISSIMVMQVE SÆCVLI SVI FVISSE. Eius veſtigia ſublegens, vt ingenio longe diſpari, ita fide certe pari, nonnulla, vt mihi viſa ſunt explicatione aut correctione indigere, ad Plautum congeſsi. fugerant ex his pauciſsima diligentiam meam in liturarijs deliteſcentia, quorum partim nunc retraho, & acutiſsimo acumini tuo ſubijcio, Meliſſe: certus, nec eruditiori iſthic ea committi poſſe examinanda; nec amiciori mihi permitti tuenda.

IANI GVLIELMII IN PLAVTVM MISCELLÆ QVÆSTIONES.

CAPVT I.

Furum manus celeres. Scelerare manus. Fungi ſua mœnia, fortunas ſuas. Alliati. Plautus fragmentis emendatus. & Moſtellaria.

FRAGMENTA ad Plautum ſat multa in ipſis Comœdijs aut emaculauimus, aut vbi legerentur ſuo in loco oſtendimus, etiam de ſuſpicione quædam, vbi non incommode collocari poſſent, admonuimus. Nunc duo quæ in manum venerunt eluemus præterea. adfertur ex Nonio in Lauerna ad Cornicularium.

Litaueram Lauernam ni furis ſceleraſcit manus.

Arbitror corrigendum, *Litaueram, Lauerna mi ne furis celeraßit manus.* Ait enim ſacro facto pacem Lauernæ ſe expoſtulaſſe: ne illa furi auxilio in rapina eſſet, & manum illi ad furandum celeraret. Furum manus celeres vulgo dicuntur. quo alluditur Aulularia ſcæna, *Poſtquam obſonauit.*

Sed vter veſtrorum eſt celerior, memora mihi.
CO. Ego, vt multo melior. STR. cocum ego non furem rogo.

Seruius tamen Plautinum ait *ſcelerare manus*, pro polluere. id ſi hinc ſumſit, aliter exiſti-

mem reſcribendum, *Litaueram Lauernam mi, ne fures ſceleraſſint manus.* hoc eſt, ne furto & rerum mearum ſpolio ſe fures impiare poſsint, deam Lauernam deprecatus ſum. Vtrauis harum emendationum probabilior ea, quam viri docti commenti ſunt. in poſteriorem ego inclinem magis. Ad Neruolariam adducitur ex Feſto in Mœnia,

Prohibent, quod mœnia alia, vnde ego fungar mea.
haud dubio leuiter contaminatum; ſed vere corrigo, *Prohibent, quom mænia aliunde ego fungor mea.* Ferre, ait, non poſſunt, ſi ego aliun[illegible]e tamen officij mei quod eſt facio. *Mœnia ſu[illegible]gi*, eſt ſuo loco & ordine vitam recte & vt decet tolerare: Plautus Moſtellaria dixit, *fungi fortunas ſuas*, Scæna prima.

Sine me alliatum fungi fortunas meas.
Sic libri veteres conſtanter, non *alliato*: opinor, vere. nam *alliati*, qui allium olent; vt *vnguentati*, qui vnguenta. Illum verſum,

Perij illic habebit flocco iam homo lumbos meos,
ad Caſinam collocant; ſed vidi obiter in Nonio ms. ampliſsimi viri Augerij Busbequij laudari ex *Caſſinaria*. Correxerim, *Aſinaria*. apte enim dicetur ab Agyrippo, dum vehit ſeruum.

CAPVT II.

Bona ſibi, alteri facere. Cella promtuaria. promi condi. promere. Speratæ. ſponſæ. pactæ. Plautus illuſtratus. Valerius Flaccus ab inepti hominis corruptela defenſus.

MVTARVNT nonnulli illud prologo Amphitruonis,

Sed mos illic numquam fuit patri meo,
Vt exprobraret, quod bonis faceret boni.

Sed cauſſa cur ita facerent non fuit. nam vt *benefacere*, ita etiam in vſu eſt, *bona facere*. Pacuuius Duloreſte.

At ſi ita ſunt promerita veſtra, æquiparare vt queam
Vereor, niſi numquam fatiſcar facere quod quibo boni.

Et hinc illud hominum voluptariorum, *multa bona mihi faciam*. Caſina. *Vt mihi bona multa faciam clam meam vxorem!* Illud per eleganter Soſia ait eadem Amphitruone.

Quid faciam nunc ſi treſuiri me in carcerem compegerint,
Inde quaſi e promptuaria cella depromar ad flagrum,

Cella promptuaria eſt, in quam penus aut vtẽſilia conduntur, & vnde ad vſum familiarem promuntur. Appuleius apologia pro ſeipſo. *Quod conditum cumque, quod obſignatum, quod incluſum domi obſeruatur, id eodem argumento magicum dicetur, aut e cella promptuaria in forum atque iudicium proferetur.* Eiuſmodi cellę qui præſunt, *promi condi* dicuntur: nam proprium in ea re verbum *promere*. quod ideo valde cenſeo reſtituẽdum Valerio Flacco, Argonauticon VIII.

——*Hæmonio nũmquam ſpernenda marito.*

Condita lethiferis promit medicamina ciſtis

nam in veterrimis editionibus eſt, *prodit:* quod tamẽ ipſum retineri & argute defendi poteſt. at emendator ille, qui Valerium, cum paullo maior ætate eſſet quam nunc ego, corrupit, gloſſema ineptum prætulit, & edidit, *profert medicamina ciſtis.* cuius hominis ſapientiam etiá in alio conſideremus, libro I. Flacci.

Hîc inſperato Tyrrheni tergore piſcis
Peleos in thalamos vehitur Thetis.

Sic edidit nouus Thales. at quis ille *piſcis inſperatus?* aut dubitari poteſt, quin veriſsime ante fuerit in omnibus libris?

Hîc ſperata ſedens Tyrrheni tergore piſcis.

Speratam Thetidem vocat, quia Peleo in matrimoniũ deſtinata eſſet. eæ enim puellæ proprie *Sperata*; vt poſtea interpoſito ſponſu & pacto, Pactæ atque Sponſæ. Plautus Aſtrabá.

Sequere ſequere, Polybadiſce meam ſpem te cupio conſequi.
PO. Sequor hercule quidem. nam lubenter mea ſperata conſequor.

Vbi præter hoc quod dixi, admodum ſuauiter puella amatorem nominat, *ſpem ſuam*; vt Rufinus in epigrammatis amicam.

Ῥȣφῖνος τῇ ᾽μῇ γλυκερωτάτῃ ἐλπίδι πολλὰ
χαίρειν, εἰ χαίρειν χωρὶς ἐμȣ̃ δύνασαι.

Similia omnia in ineptiſsimis notis Valerianis, quę protraherem niſi in hoc luto volutari diutius puderet pigeretque.

CAPVT III.

Sis. Id. inhiare. Te volo. Hoſpes Epheſo. Plautus varie correctus, declaratus.

VERISSIME hoc diſtinctione correxit D. Lambinus Aſinaria, ſcæna *Vbi ego.*

Quid iſthuc negotij eſt? L E. certumſt credere L I. audacter. L E. Licet
Sis amanti ſubuenire familiari filio.

Nã hoc dicit, licere auxiliũ ferre filio herili, ſi velit tamen operam ſuam conferre Libanus. *Sis* enim valet *ſi vis.* quomodo vſurpauit etiam Propertius libro III. elegia XIV. niſi tamen non vera eſt mea diuinatio.

Nec tamen eſt quiſquam ſacros qui lædat amãtes,
Scironis media ſic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, vt noceat, barbarus eſſe velit.

Emendant alij, *ſi licet ire via:* nihilo planiore ſententia. Mihi liquet Propertium ſcribſiſſe,

Scironis media ſis licet ire via.

Si vis, inquit, vel latronibus infeſta via iter ingredere; ſi amator eris, periculi nihil imminebit. Aulularia ſcæna *Præſagibat me animus* poſtremi verſus ſunt.

Credo ego iã illũ inaudiyſſe, eſſe mihi theſaurũ domi.
Id inhiat, ea affinitatem hanc obſtinauit gratia.

Notat nugator Nonius *theſaurum* neutri generis hic eſſe. en cor Zenodoti! *Id* poni amat pro *ideo*. Amphitruone. *Id huc reuorti, vti me purgarem tibi.* Hoc ſi vi-

diſſet etiam hic factum,ad mutationem generis non confugiſſet. Nam *inhiandi* verbum abſolute, vt vocant, eſt appetere cupide & tamquam ore aperto captare: a belluarũ hiatu ducta tralatione. Trinummo. *Adeſuriuit magis & inhiauit acrius Lupus,obſeruauit dum dormitaret canes.* Sequitur continuis verſibus.

Vbi tu es, quæ deblateraſti iam vicinis omnibus,
Mea me filiæ daturum me dotem? heus Staphyla te volo.

Nihil temere mutandum: ſed magis e conſuetudine vocatium ſit, *heus Staphyla, te volo.* Curculione. *Quid ſi adeamus? heus Curculio te volo.* Eadem. *Heus tu leno, te volo.* Bacchidibus ſcæna *Mirum eſt.*

Mille & ducentos? Philippos attulimus aureos,
Epheſo quos hoſpes debuit noſtro ſeni.

Epheſo hoſpes antique & erudite dictum, pro hoſpite Epheſio. nam caue aliter diſtinguas cum vulgo. ſic hoſpitem Zacyntho dixit pro Zacynthio Mercatore. *Video ibi hoſpitem Zacyntho,dico quid eo aduenerim.* Sequitur iiſdem Bacchidibus, ſcæna Quam magis.

Duxi habui ſcortum, potaui, dedi, donaui ſetenim id raro.

Legit amicus noſter Io. Mercerus, *potaui, edi, donaui.* veriſsime. ſemper id verbum cũ amore coniungitur: neque immerito. nam, vt habet parœmia vetus, ſine Libero & Cerere friget Venus. Pœnulo. *Domi eſt quod edis, quod ames affatim.* neque quidquam frigidius iſta tautologia; *dedi, donaui.*

CAPVT

CAPVT IV.

Ingeniatus. Deducere in nuptys, in emtione. Miles illuſtrata bis. Appuleius correctus.

EGREGIE Palæſtrio Milite philoſophatur de vita humana, ſcæna *Cohibete.*

—— diuos diſpertiſſe vitã humanã æquum fuit,
Qui lepide ingeniatus eſſet, ei vitam longinquam darent;
Qui improbi eſſent & ſceleſti, iis adimerent animam cito.

Sed inibi rarũ verbũ *ingeniari*, ab ingenio deductũ: vt ab auxilio auxiliari. Vſus eo, Appuleius Floridorũ IV. *Euathlus poſtquam cũcta illa exorabula iudicantium, & decipula aduerſantium, & artificia dicentium, verſutus alioquin, & ingeniatus ad aſtutiam facile perdidicit.* Sed eodem Appuleij libro maculoſa illa sũt. *Eius dei hymnum Græco & Latino carmine vobis occinam, iam illi a me dedicatum. Sum enim non ignotus illius agricola, nec recens cultor, nec ingratus antiſtes.* Corrigo, *non ignotus illius ſacricola.* nam agricola dei qui eſſe potuit, Aeſculapij præſertim? Reuertor ad ſcænam Plautinæ Militis, vnde diſceſsi modo. in illa eſt.

Nã bona vxor, ſi ea quidẽ deducta eſt vſquã gẽtiũ,
Vbi eam poſſim inuenire?

Emendant, *educta:* nõ recte. *Deducere* propriũ verbum, cum noua nupta ad nouum maritum domum adducitur. Tibullo.

Quæ mihi deducta fax omen prætulit, illa
Traxit ab inuiſo lumina nigra rogo. Idem.
Vt iuueni primum virgo deducta marito.

Hinc claram lucem iocus Ciceronis accipit, quem recenſet Macrobius Saturnalium II. cap. II. *Mater M. Bruti Seruilia, cum pretioſum fundum ære paruo abſtuliſſet a Cæſare, ſubijciente haſta bona ciuium; & quo melius emtum ſciatis, ait Cicero, Tertia deducta eſt. Filia autem Seruilia erat Iunia Tertia, eademq. C. Craßi vxor, laſciuiente Dictatore tam in matrem, quam puellam.* Luſit ſcilicet ambiguitate vtriuſque vocabuli. deducitur enim, in re amorum puella; in emtione, pars pretij: & Tertia aut filia Seruiliæ accipi potuit, aut pecuniæ attribuendæ pars.

CAPVT V.

Pacere. En vmquam. Laberius apud Macrobium emaculatus, & Plautus Menæchmis.

MACROBII locus, quem protuli, aurem mihi vellit, & admonuit lepidiſsimorum verſuum Decimi Laberij: quos adſcribam elegantiæ cauſſa, tum vt inſigné maculá inſigni venuſtate commutem. Coactus ergo Laberius Cæſaris imperioſis precibus in ſcenam prodire ſic exorſus eſt.

Neceßitas, cuius curſus auerſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detruſit pæne extremū ſenſibus?

Quem nulla ambitio, nulla vmquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
Mouere potuit in iuuenta de ſtatu:
Ecce in ſenecta vt facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Summiſſa, placida, blandiloquens oratio.
Etenim ipſi di negare cui nil potuerunt,
Hominem me denegare, quis poſſet pati?
Ego bis tricenis annis actis ſine nota,
Eques Romanus e lare egreſſus meo,
Domum reuertar mimus. nimirum hoc die
Vno plus vixi mihi, quam viuendum fuit.
Fortuna inmoderata in bono æque atque in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere,
Cur, cum vigebam membris præuiridantibus,
Satisfacere populo & tali cum poteram viro,
Non flexibilem me concuruaſti vt caperes?

Enimuero contineri nequeo. ô ſuaues numeros! ô verba melle & ſeſamo ſparſa! Poſtremus tamẽ verſus manifeſto ruit, niſi ſuſtineatur emendatione mea. nam corrigo,

Non flexibilem me concuruaſti vt paceres.

Pacere antiqui dicebant etiam Laberij tẽpore, quod vſitatius ſcribitur, *pangere*. Feſtus. *Pacionẽ antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus: vnde & paciſci adhuc & paco in vſu remanet.* Sciũt autem non imperitiſſimi rei ruſticæ ramos tenerarum arborum decerpi, aut curuari, vt pangantur nouæ. quod in ſe Laberius ait fieri debuiſſe, dum adoleſcentia mollis & flexibilis eſſet. nam nunc, inquit, cur deijcior, hoc eſt,

in humum & ſcenam e dignitate equeſtri deprimor, cum ſuppullulare elegantia nulla poſſit. ſed lubet ipſum carmen porro adſcribere.

Nunc me quo deijcis? quid ad ſcenam affero?
Decorum formæ, an dignitatem corporis?
Animi virtutem, an vocis iucundæ ſonum?
Vt hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas amplexu annorum necat.
Sepulcri ſimilis,, nil niſi nomen retineo.

Quæ omnia noſtram coniecturam planiſsime ſtabiliunt. Adijciam vnum etiam nunc e Menæchmis ſcęna *Edepol ne hic.*

Dic mihi, an vmquam inteſtina tibi crepant, quod ſentias?

Brixienſis vetus, *en vmquam.* neque verius eſt Menęchmum Plauti eſſe, quam eiuſdem hanc ſcripturam. *En vmquam* vetuſte, quod nobis *vmquam ne.* Trinummo. *ô pater En vmquam adſpiciem te?* Phormione. *En vmquam cuiquam contumelioſius Audiſtis factam iniuriam?* Hactenus ad Plautum.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE quid deſiderares ad Plautum, Lector, emendationum auctoris noſtri, tranſſcribſimus ex Veriſimilibus eiuſdem pluſculas notas, quas ſparſim ex hoc comico illic iniecit: & locorum adiecimus notationes, vnde vberiores ſingularum probationes poſſes petere. nam huc ingerere nec libuit, nec per paginarum numerum licuit. Hoc rei tuæ cauſſa factum æqui boni conſule, & noſtris in litteris ornandis conatibus faue.

AMPHITRVO.

Sublatū inſigne gloſſema, & cōcinnati verſus Scænæ primæ. Veriſimilium 2. cap. 6.

ASINARIA.

Metuo quod illic obſcænauit meæ falſæ fallaciæ. leg. *Ecquo nunc illic obſcænauit.* ex Nonio 2.20.

CAPTEIVEI.

Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine. leg. *miſer a macritudine.* 1.12.

Nūc ſpes opeſq. auxiliaq. a me ſegregant, ſpernuntq. me. leg. *ſpernuntq. ſe.* 3.3.

Dum pereas nihil interdico dicant viuere. leg. *nihil interduo.* 3.1.

Vſque offerre natum ſuis me ductarēt dolis. leg. *Vſque offrenatum.* ibid.

Ita mihi ſtolido vorſus es ſubleuere offucijs. leg. *vorſutis.* ibid.

Exuam omnes mærorum maculas tibi. leg. *Eluam.* 3.3.

Nam hercle niſi mantiſcinatus pulcre ero, fuſti plectito. leg. *pectito.* ibidem.

CASINA.

Aures votiua ſi ſint animum aduortite. leg. *votitæ*. 1.14.

Receſſim cedam ad parietem. leg. *dabo me ad parietem*. 2.22.

Hac dabo me protenus in fugam. O L. Heus Stalino amator. leg. *Heus ſta eloco*. ibid.

CISTELLARIA.

Sed ne ego ecaſtor ſum multo inſcitior. leg. *mulo inſcitior*. 3.23.

EPIDICVS.

Quis properãtem me prehẽdit pallio: leg. *reprehendit*. 3.9.

Qui inuident omnes mihi iſthoc facto inimicos repperi. leg. *Quin vide. omnes*. ibidem.

Quis eſt hac muliercula & illic rauiſtellus qui venit. leg. *illis rauus, ellus qui venit*. ibid.

BACCHIDES.

Quo nũc capeſſis tete hinc aduerſa via. leg. *ãduerſa aui*. 1.18.

Dum ibi exquirit fata illorum. leg. *fata Iliorum*. ibid.

MOSTELLARIA.

Saluere iubeo te mi Saturites. leg. *Miſargyrides*. *lib*. 1.1.

Atque ibi ne meliuſcule, quã ſat fueris biberis. leg. *ne pluſcule*. ibid.

Scio qua me ire oportet, et quo venerim, noui loqui. leg. *noui loci*, ibid.

Clanculum ex ædibus me edidi foras. leg. *me dedi*. 2,22.

Ita nunc ventus noſtram nauem ſubito Deſeruit. SI. quid eſt? quomodo peſſime potuit? leg. *peſſum ire potuit?* 1.4.

MENÆCHMI.

Bene autem ora commentaui. leg *carminaui*. 3.20.

Sed hac res mihi in pectore curæ eſt. leg. *S.acris mi-*

*hi i.p. cura eſt.*ibid.

O ſalue inſperate multis annis poſtquam conſpicor. leg. *poſt quem.* ibid.

MILES.

Vbi adbibere aures meæ tuæ moram orationis. lèg. *tuæ oram orationis.* 3.11.

Euge euge euſcheme hercle aſtitit & dulce & comœdice. leg. *dulice & comœdice.* 3.24.

PSEVDOLVS.

Studete hodie mihi, bona in ſcænam adfero. leg. *bonam ſcæuam adfero.*1.4.

Eho, an pœnitet quando hic vſui fuerit. leg.*quanto hic.* ibid.

Item his diſcipulis prius cuſtodes dabo. leg. *priuos cuſtodes.* ibid.

Suauis eſt ructus mihi.ſic ſine modo. leg. *ſic ſine. i modo.*

Peſſumus homo eſt. leg. *peſſum is homo eſt.* ibid.

POENVLVS.

Hanc perdoceamus vt ferat fallaciam. leg. *ſerat.* 1.6.

*Trecentos nummos portat præſibi.*leg. *præſidij.*1.20.

Nam huc ſi ante adis ſeuocem. leg. *euocem.* ibid.

*Nam & hoc nocte conſulendũ eſt.*leg. *docte.* ib.

PERSA.

Quî familiarē ſuam vitam oblectet modo. leg.*domei.* 1.8.

Ludentis lætificantis faciam vt fiant. leg. *lubentis.* ibidem.

RVDENS.

Is nos per gentes alium alia diſparat. leg.*aliuta diſparat.*2.25.

Nec vlla eſt ſpecula quæ ſalutem afferat. leg. *aſſerat.* ibidem.

STICHVS.

Nulli negare ſoleo, ſi quis me eſum vocat. leg.*ſi quis me vocat.* 1.18.

Illam augeam ex inſpe-

uto opportuno modo. leg. *ob portum bono*. 1.24.

Commodum radioſus ſol eſſe ſuperabat e mari. leg. *ſeſe ſuperabat*. ibid.

Monotrophe. hoc conuiuium eſt. leg. *Monoſtrophe hoc c*. 3. 24.

TRINVMMVS.

Actum eſt. animo ſeruiuit, non ſibi. leg. *animo ſeruibit*. 1. 3.

Indignũ ciuitate hac eſſe viuere. leg. *ac ſeſe viuere*. 1. 24.

TRVCVLENTVS.

Dum illi agant. leg. *tagant*. 2. 3.

Sed tu poſterior. omnem rem tenes. leg. *ordine omnem rem tenes*. ibid.

Ego iſti non munus mittam? iam modo ex hoc loco. leg. *iam domo eloco*.

PETRI COLVI BRVGENSIS AD IANVM GVLIELMIVM

ELEGIA.

ESSE quid hoc dicam, quod, quo nihil æquius olim,
Sæpe laceſsitus ſe mihi Apollo negat?
Nudaq. corroſos vngues acroteria lugēt,
Penſatos nullis vt modo carminibus?
Et tu me auerſis Muſis, & Apolline ſurdo
Cunctantem ad ſolitos IANE *vocas numeros?*
Non herboſa vides colimus Parnaſsia Tempe,
Nec placitis Muſarum immorimur ſtudiis;
Sed noſtrorum hominū exundantes ſanguine campos,
Plenaq. veſanis æquora militibus.
Et vix ciuiles belli æſtus, triſtiaque arma,
Et ferimus regum vix inimicitias.
Iam ſubeunt facies noſtrorum mille malorum,
Ipſaque iam patrij triſtis imago ſoli.
Hinc euerſæ vrbes, celſarum hinc alta domorum
Culmina, & indignis prædia vaſta modis.
Non ita Achillea ceciderunt Troïa dextra
Pergama; vt hoſtili procubuere manu
Oppida noſtra in fumoſas conuerſa fauillas,
Plena ruinoſis oppida ruderibus.
Teſtis Louanium mihi pro vrbibus omnibus vna es,
Muſarum quo non certius emporium

Orbe fuit toto,ingenium dum pace ſub alta
Ingenuis licuit artibus excolere.
Hic magnus diuûm interpres,hic Suada Themiſque,
Hic voluit ſedes Pallas habere ſuas;
Nunc abiere omnes adytis ariſque relictis
Di,quibus Aonidum hoc emporium ſteterat.
Sed ſteterat.nunc cuncta graui conuulſa ruina,
Et notum vano nomine Louanium.
Nec tantum hoc. vt debuerit miſera ante parentum
Lumina virginitas fanda nefanda pati:
Atq. alia innumera, hîc quæ iam meminiſſe dolori eſt
Damnoſa inſanæ munera militiæ.
Quîs dum anguſta iacet, dum perturbata malis mens
Haud pote Muſarum eſt arte ſatisfacere;
Illa ſed aſſiduo ſatiari neſcia luctu
Dum queritur patriæ incommoda mille ſuæ,
Nunc hac,nunc illac furiis agitata vagatur
Oppida per,campos,per mare,per ſyluas;
Et requiem non his quærit,non ſedibus illis,
Nec certo potis eſt fixa manere loco.
Vt Philomela, cui implumes immitis arator
Natos vicina ex arbore deripuit
Mœſta volat, totoq. die miſerabile carmen
Integrat,& nullis certa ſub arboribus,
Aut ſecura manet.nunc has,nunc fertur ad illas,
Si qua cara ſibi pignora repperiat.
Interea non dulce melos queat illa ſonare,
Vndique lugubri prata replens gemitu.
Haud aliter mœſtis mea mens tantum apta querelis
Non pote conſuetis verba animare modis.

Te facio noſtri teſtem Neptune doloris,
Voſq. imo nantes gurgite Nereides,
Teque Theti Æacidem non dedignata maritum,
Argo cum longum Phaſidos iret iter:
Quæque alij æquoreo regnatis marmore diui;
Et ſi quis duris ſenſus ineſt ſcopulis,
Vos vaſtæ Syrtes, & te ventoſa Charybdi,
Et te Scylla atris inuia vorticibus;
Vos Fauni Satyrique, & capripedes Syluani,
Et te qui magnæ es Pan deus Arcadiæ;
Vos quoque Hamydriades, vos Naïadeſque puellæ,
Et quodcunque pijs numinis agricolis.
Teque etiam, humanæ quæ imitatrix diua loquelæ es,
Et nemora arboreis ſibila murmuribus.
Nam ſcio vos meminiſſe, meis cum fletibus Echo
Reſponſans vacuis vallibus ingemuit;
Et vos, ſi argutis mens vera eſt addita ſyluis,
Audiſtis vocem ſaxa iterare meam;
Triſtia cum noſtro gemuerunt arbuta fletu,
Et ſonuit mæſtis omne nemus lacrymis.
Teſtis & ipſe mea, memini ſi, IANE querelæ es:
Dum tu mentem œſtro concitus Aonio
Lentus in vmbroſæ requieſcis margine ripæ
Dulce ſuſurrantem gurgitis ad laticem,
Et prope te tua Vita, ferens tibi gaudia mille,
Amplexuque tuo molliter implicita;
Qualia Dardanio paſtori Tyndaris olim
E Menelaëo rapta tulit thalamo,
Qualia & Anchiſæ quondam inuidioſa petenti
Cypris in Idæis gaudia verticibus.
Quæ tu flexanimo mentem percuſſus amore
Argumenta tuis dum canis apta modis:

Siue animus culti eſt animari in verba Propertl,
Ludere ſeu numeris docte Catulle tuis;
Siue magis Venuſini imitari ſcripta poëtæ,
Siue magis modulos Teïa Muſa tuos:
En, modoque dulci ſomnum tibi demulcebat
Murmure lympha tuis præ modulaminibus
Muta ſilet, rapido nec fertur languida curſu,
Immemor vndantes, vt prius, ire vias.
Et ſtupuit genus omne auium, genus omne ferarum,
Et ſaxa e ſummis mota cacuminibus.
Vt quondam Orpheo ductæ modulamine lynces,
Cantantiſque lyram eſt ſylua ſecuta Lini.
Carmina quin etiam audiuere tua obſtupefactæ
Naiades, atq. imis exiluere vadis,
Et te nequiquam fugientem voce ſecutæ
Certatim cupid corripiunt manibus.
Omne nemus magno reſonat clamore, ſuis dum
Nituntur choreis addere te comitem.
Hic etiam Aonijs nymphis Dryades ſtipatæ
Mille tibi plenis dona ferunt calathis,
Mille roſas, mille hæc violas, mille hæc amaranthos,
Mille alia veris munera purpurei;
Et nunc his, nunc illis frondibus intertextis
Aptarunt capiti mollia ſerta tuo,
Quæ te venturis Phœbi teſtantia vatem
Æternis maneant florida temporibus.
Phœbi, qui criticum tibi ius tranſcribere viſus
Dignaq. laudatis præmia carminibus
Temporibus poſuiſſe tuis, quæ iuſſerat olim
Fingere de varijs frondibus Aonidas.
Teſtis Romani quæ fabula prima theatri
Quondam erat, a multo tempore vulneribus

Vix ſibi nota ſuis; ita Plauti pulpita fœde
Barbaries nobis inuida polluerat.
Sorduerant tum vela cauo ſuſpenſa theatro,
Quærebatque ſuos ſcena relicta crocos.
Non Plautus placuit; nigro damnatus at Orco
Perpetuis iacuit luridus in tenebris.
Nemo ægro medicinam fecit, at illius omnes
Conclamauerunt vulnera grammatici.
Hic tu IANE *memor te qua donauerit arte*
Phœbus, & impediant cur tibi ſerta caput,
Ferre ægro auxilium dum quæris, &, vndique turpi,
Menda manu tollis innumerabilia;
Hoc facis, vt priſco modo reddita ſcena nitori
Plautini ſapiat delicias genij;
Et modo cum magno populi ſtet grata fauore
Donetur meritis fabula muneribus.
Gaude igitur, ſi quis tibi ſenſus Marce ſepulto eſt,
Gaude inquam, & læta hæc munera lætus habe;
Quæ tui Ariſtarchi genio dat Apollo, tui olim
Ingenij vt poſſit condita detegere;
Et modo laudato communi voce, corona
Cingere lemniſcis tempora de proprijs.
Plaute places: meritæ donaris munere palmæ,
Nunc aulæa ſuis ſerica textilibus
Exornata nitent iterum, plaudentibus & nunc
Attollit plebes murmura cum manibus.
Non tineas metues, non blattas, nec quæ alia olim
Librorum fuerat peſſima pernicies;
Sed tua poſtilla ſcripta incorrupta manebunt
Cognita ab Eois, cognita ab Heſperijs.
Tuque, diu quo noſtra ſuo ſe Flandria alumno
Iactitat, AVGERI *cui ſacer iſte labor,*

Gaude etiam, atque tuum non aſpernare clientem,
Quo Plautina ſuo ſtat modo Muſa pede.
Nam ſua dum Plauto durabit vita, manebunt
Nomina GVLIELMI, *nomina* BVSBEQVII.
Quæ cum inter deſerta mihi ſic viſa futura,
Arboreis volui ſcribere corticibus;
Tangere ne veſtrum poßit rubigine nomen
Hæc aut illa ætas, aut alia aut alia.

1007692